



**Brevis et modesta apologia capitum disputationis, de  
majestate hominis Christi, de?q[ue] vera & substantiali  
præsentia corporis & sanguinis Christi in eucharistia. : Contra  
theses incerti authoris, in Schola Ingolstadiana præpositas.**

<https://hdl.handle.net/1874/423837>

4.

BREVIS ET MO=  
DESTA APOLOGIA CAPITVM  
DISPV TATIONIS, DE MAIESTATE HOMINIS CHRIP=

sti, deçq; vera & substantiali præsentia cor=

poris & sanguinis Christi in

eucharistia.

CONTRA THESES INCERTI AV=

thoris, in Schola Ingolstadiana præ-

positas.

A VTHORE

Iacobo Andreæ, D. Præposito &

Cancellario Academiæ Tu-

bingensis.

Lector lege, perpende & demum iu-

dica quoq;

TVBINGÆ,

Apud viduam Ulrici Morbardi.

M. D. LXIII.

# BREVIA ET MO

DESEA APOLOGIA CATHOLICA

DIVULGATIONE DEI IN RITU ROMANICO

IPSE DEUS VENIT IN PREDICATIONE SILENTIO

PORTA REGIA PREDICATIONIS CATHOLICAE

ENCLOSUS

COMITATIS THESES INCERTAS

NON IN PREDICATIONE

EXCUSAS

## AUTHORIS

LEOPOLD ANTONIUS DE PIZZIOLUS

CATHOLICUS ACADEMICUS TURINENSIS

GRADUATUS

WISCONSINENSIS UNIVERSITATIS

GRADUATUS

## TABLE

CONTENTS OF THIS EDITION

INDEX

Reuerendo & clarissimo viro,  
 pietate & doctrina præstanti, D. Iohanni Se-  
 bastiano Phausero, serenissimi ac Christianissimi Cæsaris  
 Maximiliani concionatori aulico, &  
 consiliario, amico & fra-  
 tri suo

¶

Jacobus Andreæ gratiam & pacem in  
 Christo optat.



Ap numero, reuerende vir, & mihi in Domino honorande frater, de D. Lutheri, pię memoriae vaticinio, non sine magna admiratione cogitauit, in quo prædixit: fore, ut hic spiritus, qui veram in eucharistia, corporis & sanguinis Christi præsentiam neget, tandem etiam Christum hominem esse Deum negaturus sit. Ut cunq; enim hactenus quidam, in hac parte nostris contradicent, splendide tamen semper de diuinitate Christi, contra Arrianos concionabantur, id quod nunc etiam sedulò faciunt.

Luth. in libro, quod  
hac verba Christi  
(Hoc est corpus  
meum) consenserunt.

Postquam autē fundamenta huius controvæ  
 accuratius vtrinq; excutiuntur, quàm non vanus  
 fuerit vates, non sine magno animi dolore subinde  
 magis magisq; experimur. Etenim non amplius,  
 aut certè parum de verbis cœnæ litigatur, sed de

A 2 his

his ipsis fidei articulis, qui sunt de incarnatione verbi, & sessione Christi hominis ad dexteram Dei, ex quibus D. Lutherus (contra voluntatem suam, & iuitus ab aduersarijs, qui in simplicitate verborum cœnæ acquiescere noluerūt, eò pertractus) perspicue demonstrauit, non modo indignum esse homine Christiano, de præsentia corporis & sanguinis Christi in eucharistia dubitare, quod facile esset Christo id secundum promissionem suam efficere, sed his ipsis articulis nos doceri & vrgeri, eum vbiq; locorum ecclesiæ suæ iuxta humanitatem quoq; adesse, quod ad dexteram virtutis & maiestatis Dei, secundum humanitatē colloca-tus sit,

Hinc factum est, vt ab his duabus potissimum rationibus nunc tota controuersia dependeat. Altera enim pars controuertentium negat, Christum corpore suo adesse in cœna, quia ascenderit in cœlum, locum scilicet corporalem, in quo continetur usq; ad nouissimum diem. Altera affirmat, eum corpore, hoc est, humanitate sua in cœna adesse, quia sedeat ad dexteram virtutis & maiestatis Dei, quæ nullo loco circumscribitur; ideoque etiam, qua ad dexteram Dei sedet, non modo in cœna, sed vbiq; locorum adesse.

Hic necessaria fuit cœli & dexteræ Dei expli-catio,

catio, ut quid vtrumq; significaret, intelligeremus,  
ne articuli fidei sibi ipsiis contradicere videretur. Id  
quod D. Lutherus, piae memoriae, singulari dili-  
gentia & dexteritate in plerisq; quos de hac con-  
trouersia scripsit, libris, in primis autem eo, qui est  
de verbis cœnæ (Hoc est corpus meum) præstit. Tom. 3. ger. lhem.  
anno. &c. 56. impres-  
so, fol. 390. vñque ad  
fol. 396.  
Eius vestigia dum nos sequimur, alijs non necessa-  
ria, & quæ nihil prorsus ad institutum faciunt, age-  
re (vñq; adeò oscitanter & negligenter in scriptis  
Lutheri versati sunt, cui procul dubio hæc expli-  
catio in bucca non est nata) alijs vero <sup>in lxxiij. ap</sup> vide-  
mur. Interim (proh dolor) videmus prophetiam  
Lutheri, hominibus nihil horum cogitantibus,  
impleri.

Cum enim nunc ex commemoratis articulis  
controuersia ad vñionem personalem deducta sit,  
quos in hac re passim aduersarios habemus, ma-  
gno numero affirmant: eam nihil aliud esse, quam  
duarum naturarum diuinæ & humanæ in Chri-  
sto eam coniunctionem, qua <sup>ad</sup> humanam natu-  
ram in sua persona, sine naturarum confusione,  
perpetuò sustentet: hanc inquam, & non aliam do-  
cent, & contendunt esse vñionis personalis defi-  
nitionem. Sed, quid quæso, hoc aliud est, quam  
negare, Christum hominem esse Deum? Beatis

A 3 vide.

videlicet hominibus per omnia similem. Siquidem beati omnes à Verbi Dei subsistentia sustentantur, quorum animabus semper adest, & corpora ipsorum in puluerem redacta nunquam deserit, quos ad resurrectionem carnis & immortalitatem conseruat, atq; hoc modo cum Verbi uniuersitate persona,

Cum ergo huius quoq; impietatis patronus, paucis ab hinc diebus ex schola Ingolstadiana prodijisset, qui meæ disputationis capita oppugnanda suscepit, ad eas breui hoc scripto, quantum in tanta breuitate & angustia temporis licuit, respondi: Ut si quibusdam succincta breuitas mearum conclusionum, in scholis consueta, paulo obscurior esset, earum mentem hic paulo copiosius explicaram haberent. Etsi enim propter causam commemorationem etiam in hac apologia breuior fui, spero tamen nostros omnes ex ea facile intellecturos, quid in recessu habeat impietatis opinio, quæ hoc fundamento Christi hominis in coena præsentia negat, quod ad cœlos ascenderit. In quibus, si quibusdam nondum satisfactum est, aut mea hæc quoq; explicatio aliquid obscuritatis habere videtur, hi elegant, quæ D. Lutherus, piæ memoriarum in libello de verbis coenæ (Hoc est corpus meum) de dextera Dei & sessione Christi hominis ad dexteram

Dei

Luth. Tom. 3. ger.  
Ihen. anno 1556. imp.  
presso, à fol. 39<sup>a</sup>. v.  
que ad fol. 39<sup>b</sup>.


Dei scriptis. Is, inquam, nō eorum verborum sit, &  
non ego illius interpres.

Visum est autem hanc apologiam tui nomi-  
ni inscribere & consecrare, non modo, ut meae er-  
ga te benevolentiae publicum testimonium esset,  
quæ, vt opinor, tibi cū verè nobili Cypriano Leo-  
uitio à Leonitia, communi nostro, eoq; charissimo  
amico & fratre satis perspecta est: sed eam etiam ob  
causam, quod ex eo tempore, quo primum in tuam  
notitiam perueni, te viderem ab omnibus secta-  
rijs, eorumq; peruersis opinionibus alienissimum,  
ad eoq; studiosum & tenacem eius doctrinæ, quam  
filius Dei per electum organum suum, D. Martinū  
Lutherum ecclesie sue ex scripturæ purissimo fonte  
apperuit & patefecit, cuius solida fundamenta semi-  
per pluris fecisti, quæ videras expresso Dei verbo,  
& indubitatis fidei nostræ articulis inniti, quām  
stultæ rationis figmenta, quæ de physico corpore,  
eiusdemq; physica in cœlo locatione, motu lo-  
cali, & naturalibus proprietatibus cōcionabantur:  
quæ omnia videras nihil habere solidi aut firmi, in  
quo mens hominis Christiani tutò posset acquie-  
scere. Hoc igitur munus exiguum quidem illud,  
sed ab homine tui studiosissimo profectū, qua soles,  
humanitate & benevolentia accipe: & quam iam  
inde ab initio in corde tuo reuelati euangeli, non si-  
ne magnis periculis professus es piam & synceram  
eccle-

ecclesiarum nostrarum doctrinam, opera D. Lu-  
theri restaurata, pro solito tuo zelo & pietate con-  
stanter tueriac propagare pergas, benè & fo-  
liciter vale. Tübingeræ, pridie Ca-  
lend. Septembris, Anno

1564.

Ædita



**A**DITA sunt superiore proximo mense Februario capita quædam disputationis de maiestate hominis Christi, quibus non modò vera humanitatis eius in Eucharistia pro ratione sacramenti, sed ea quoque afferitur præsentia, qua ad consolationem ecclesiae suæ propria locorum adef*ē*: quam omnibus pijs & veritatis studiosis satisfacturam sperabam.

Sed præter expectationem offertur mihi disputatione aduersaria, in celeberrima Academia Ingolstadiana paucis ab hinc diebus proposita, qua commemorata hominis Christi maiestas varijs modis oppugnatur: cuius author tam honestus *est*, ut nomen suum adscribere non sit ausus. Qua in parte non tam contra publicas Imperij leges, quæam ipsam scholam, eiusque Professores celeberrimos peccauit. Decreto enim Imperij cautum *est*, ne quid sine nomine authoris in lucem adatur. Et qua *est* doctissimorum virorum in Academia Ingolstadiana prudentia & sapientia, nunquam adduci potui, ut crederem eorum vel iudicio vel consensu & autoritate factum, ut in publicum prodirent, qua non cum magno honore scholæ ipsorum coniuncta essent.

Ideoque si de meo honore & existimatione ageretur tantum, indignum iudicassem, cui responderem: cum omnes facilè iudicare posint, hominem minimè ingenuum, qui in negotio tam graui suum non profiteretur.

Quia verò non ad meam personam pertinet, sed ecclesiæ causa agitur, in qua conscientijs multorum consultatur, pijs & sinceritatem doctrinæ cœlestis amantibus aliud visum *est*.

Quæ causa aute hunc, quisquis est antagonistæ ut id faceret, impulerit, equidem pronuntiare non possum, nisi fortè hæreditarium aliquod personæ meæ odium, quod ex eadem schola (fortassis multis ibidem dissidentibus) aliquot annis aduersarium habuerim, qui nunc suam causam coram tribunali Dei dicit, cuius iudicio relinquendus *est*. Aut fortè avv*er*up*er* huius disputationis authorem glossa Decreti sacrosancta commouit, à me non ea, qua ipsi fortassis videbatur

B facien-

De consi. Dist. 2. c. faciendum, reuerentia allata, qua continetur : Certum esse, quod species, quam cito dentibus teruntur, tam cito in cœlum rapi corpus Christi. Contra quam firmissimis scripturæ testimonij demonstrati, ecclesiam Dei ignorare talem Christum, qui ad momentum tantum suo corpore in sacramento augustissimo adsit, & speciebus sacramenti siue elementis consumptis iterum auolet: quin potius Christum doceat, qui sua humanitate sue ecclesiae non solum in sacramento, modo sacramentali, sed etiam extra sacramentum, in omnibus honestis vita actionibus, iuxta modum dexteræ Dei adsit, quas pro sua voluntate & electorum salute dirigat & gubernet.

Hoc usq; adeò doluit huic bono viro, ut ad tuendam peruersam banc, & modis omnibus impiam opinionem (quæ non facile à quoquā Christiano intelligente probabitur) hanc ipsam maiestatem filij hominis sibi oppugnandam esse duxerit, quā aperteissimis scripturæ testimonij asserimus.

Hac si non est vera causa, qua in me velis remisq; quod dicitur, inuehendum censuerie author, qua alia ratione à me offensus sit, ne quidem diuinare potui.

Esi verò mihi persuadere non possum, quęq; esse ex doctrinibus etiā inter ipsos, qui manifesta scripturæ depravationē approbet (quis enim intelligens ei fidem haberet, qui ecclesiae Dei corpus Christi offerret, momento tantū in communicaturis permanente, & denuo auolante: cum scriptura loquatur de Christo secundum humanitatem in ijs permanente, qui carnem ipsius manducet) tamen ad defendendam hanc hominis Christi maiestatem optimi quiq; mibi & authores & bortatores fuerunt, ut breuem mearum conclusionū & modestam apologiam instituerem: non considerans, quid meritus sit, qui mea dilecta calumnijs suis deprauauit, sed quid ecclesia Dei à me exigat: cui in tanto negotio, pia, plana, sincera, & simplex veritatis & controversia explicatio necessaria esset.

Id ergo ut facerem, præter has, multæ aliae quoq; causæ me impulerunt. Potissima autem est gloria Dei, quam vindicandam duxi,

& da-

& doctrinæ sinceræ assertio, quæ silentio meo prodenda non erat. Simul etiam ut depellerem grauiſſima crimina, quæ mihi ab hoc homine & occulto hoste, intentantur. Cuius tanta est, ne quid grauius dicam, temeritas & audacia, ut vix damnata heres fuerit, cuius me non reum agat: à quo audio Eutychianus, Nestorianus, Monothelita, Sabellianus, Patripassianus, sacrilegus, impius, & si quæ aliae sunt honoris & dignitatis appellations.

Ac mirum certè & mihi videbatur, potuisse in me tot tamq; varias, & secum ipsas ex diametro pugnantes hereses concurrere. Eutychianus enim si fuero, quomodo Nestorianissimi illa ratione accusari possum? Sed spero vel ex hac confusanea congerie heresiō, pum lectorem facile intellecturū, qua fide meam sententia reddiderit hic aduersarius, qui impotentia animi vicius, & ignorantia nebulis excexcatus, quacunq; odium subministravit, arma arripuit: ut si alia ratione, vel mihi vel causæ nocere non posset, saltem dictarum suspectas redderet meas theses, quas ullo veritatis testimonio in omnem æternitatem euertere non poterit. Accidit autem illi quod ferè sophistis omnibus, qui iuxta vulgatum apophthegma: Cum vires in certamine desint, ad clamores, contumeliasq; veluti equos confugiunt.

Summopere vero mihi placet, quòd me eius sententia, quam meæ cōclusiones secundum spiritus sancti diuina oracula, propugnant, aut horem non facit, sed sanctæ & piæ memoriae virum Dei, D. Martinum Lutherum, doctrinæ cœlestis instauratorem egregium: qui ut alias partes doctrinæ Christianæ, à scorijs Pontificijs repurgauit, ita & hanc quoq; de eucharistia infinitis Scholasticorum labyrinthis perplexam & inuolutam materiam, ad normam & regulam Apostolicæ doctrinæ restituit. Libenter enim fateor ingenij mei acumen tantum non esse, ut ipse sine duce, id præstare me potuisse existimem.

Diuina autem prouidentia accidisse arbitror, Papistas simul cum Cinglianis in hoc argumento suas vires coniungere, in quo, instar vulpium Samsoniticarum caudis colligatae, capitibus, disdiaconis, quod dicitur, dissident. Sicut enim Cinglianam cœnam nobis fugien-

dam censemus, qui veri corporis Christi praesentiam negant, diuinitatis tantum praesentiam astruentes: ita quam docent Papistæ transubstantiationem rei cimus. Cum enim Cinglianis Papistæ fuerimus hactenus semper, quod veram corporis Christi praesentiam credemus, nunc hoc crimine testimonio huius Papistæ liberamur.

Sed vici sim Christianus lector non sine causa mirabitur, quomodo in schola Ingolstadiana locus esse possit huius disputationis authori, qui ex professo fundamenta Cingliani dogmatis propagnat? quod factum, odio persona meæ non excusabit. Nemo etenim ignorat, hanc unicam & potissimum rationem Cinglianorum esse, qua absentiam corporis Christi in cena Domini tueretur, videlicet quod cum proprietate corporis pugnet: simul in pluribus locis esse: Si quidem omne corpus natura finitum sit & circumscriptum. Id Cinglianis non modo largitur hic author, una cum corporeo quod singit caelo, ut insuper addat, nulla ratione fieri posse, ut corpus Christi simul sit circumscriptum, & incircumscriptum.

Quæ causa est, ut existimem, paucissimos & in primis doctiores in schola Ingolstadiana, ipsum habiturum vel socios vel patronos, qui hanc profanam & impiam sententiæ sint approbaturi: nisi forte aliqui ex ipsorum numero Cinglianorum sententiæ amplexi essent. Etenim si haec, que contra nostrarum Ecclesiarum doctrinam de Eucharistia, ab hoc theologo afferuntur, firma sunt, nulla, nulla inquam ratione, veniam praesentiæ corporis & sanguinis Christi, afferere possunt Pontificij, sicut suo loco in postrema huius disputationis parte luce meridiana clarius demonstrabimus.

Quod fælix igitur faustum sit ecclesia & reipub. Christianæ, hoc quoq; cum aduersario ingrediamur certamen, ut puram & illibatum hominis Christi maiestatem tueamur. Conabor autem me qua possum breuitate expedire, quod hoc ipsum argumentum à duobus egregijs Heroibus D. Luthero, & D. Brentio, satis copiosè & luculentè explicatum sit, & scripture sacra firmissimis testimonij ita munitum, ut mirum sit, posse quenquam in his hæcere aut dubitare amplius.

amplius: si modò mediocri animi attentione ea lector cognoscere dignetur.

Quantum igitur ex lectione ~~scriptorum~~, quas ~~adversarii~~ aduersarius conscripsit, animaduertere potui, duo sunt præcipua capita, quæ per calumniam disputationi meæ affinxit. Et sane se palmarium noctum credidit, si falsam hypothesin, de qua nunquam cogitavi, more sophistarum, verbis amplificare, & vulgo inculcare posset. Vnam, quæ finxit, me constitutere & tueri exæquationem diuinæ humanæq; naturæ, talem, qua secundum humanitatem per omnia Christus Deo non inferior statuatur. Secundum, præsentiam videlicet corporalem, qua secundum suas dimensiones est, hominis Christi. In his duobus omne studium reprehensionis suæ consummisse mihi videtur.

Prius vero, quam ad refutationem rationum, quas adfert, accedam, lector monendus est de candore huius noui disputatoris, qui statum controversia statim ab initio peruerit. Vnde adeo sit, quod dicitur, ut uno inconuenienti dato innumera sequantur. Vtrisq; concurentibus, nihil fallaciarum, nihil calumniarum omisit, ut hanc nostram piam doctrinam omnibus exosam redderet. Quare ut se eo facilius lector expedire posset, contra explicatorias theses huius Sophistæ, que nostrarum conclusionum mens fuerit & sententia, quam fieri potest, planissimi declarabimus: deinde & confutatorias eiusdem ordine & singulas suo loco examinaturi.

Cum unionem personalem, auctore D. Paulo, definierimus, reali communicatione plenitudinis omnis diuinitatis in Christo, duplicer in meam explicationem impingit. Alterum est, quod arbitratur me sentire, unionem non factam in persona, sed in natura diuina, quæ tribus hypostasis communis est. Alterum, quod existimat, nullam planè posse esse aut fieri realem communicationem proprietatum diuinæ naturæ, in natura humana. Prius si explicatum fuerit, quam alienum id sit à mearum conclusionum sententia, quomodo in posteriori hallucinentur, facile intelliget lector.

Primo, quod unionem personalem putat me docere in natura,

non in persona, in hoc ignorantia ne an malignitate animi erret, affirmare non ausim. Etenim adeo ignorans esse non potest, quin intelligat, ita dicitur communicare tres hypostases, patris, filij & spiritus sancti, ut interim fateatur esse reales esse, & earum incommunicaeles proprietates: nisi forte Sabellium securus, nuda nomina esse, patris, filij & spiritus sancti appellationes, dicere velit.

Quod si vel saltem Petrum suum Lombardum consuluisse, facile se hoc errore liberasset: nisi forte, quod magis crediderim, vocabuli homonymia & equiuocatione, negotium & controuersiam studio inuoluere, propositum habuerit: Id quod nemo bonus ynquam probauerit. Disputationum enim finis esse debet, non obscuratio, sed declaratio veritatis: praeseruum vero in professione nostra, ubi de laude ingenij non certatur, sed de veritate doctrinae cœlestis, quæ ad omnes pertinet.

Petrus Lombardus  
lib. 3. Dist. 32.

Evidem quod ad me attinet, etiam à puero me erudiri patiar, meliora docente. Quod igitur ad præsentem quaestionem attinet, notum est, in Scholastica Theologia doceri, et si una sit patris, filij & spiritus sancti sapientia & potentia, eam tamen iuxta personarum proprietates distingui. Patris enim sapientia & potentia ingenita est & dicitur: filij autem genita est: & spiritus sancti procedens. Pater enim non sapiens est genita sapientia, nec filius ingenita aut procedente, neq; spiritus sanctus genita aut ingenita, sed sua cuique est sapientia.

Cum ergo dicitur: Verbum, sive Logos, aut filius Dei, comunicauit filio hominis, quem in unitatem personæ assumpsit, infinitam suam potentiam, non propterea dicendum est, me statuere yunionem in natura, aut essentiali aliqua proprietate.

Et si enim potentia patris & filij essentia unum sunt, alia tamen sunt ratione proprietatum personarum: quia alia est genita, alia ingenita. Et cum homine non est personaliter unita potentia aut sapientia ingenita, quæ est pater, neq; sapientia aut potentia

ria procedens, quæ est spiritus sanctus: sed sapientia & potentia filij Dei, quæ est genita, non minus tamen infinita, quam patris aut spiritus sancti.

Nisi ergo hoc discrimen personarum confundere velit aduersarius, non potest dicere, unionem factam in natura, sed duarum naturarum in una persona. Nam verus & aeternus Deus, qui essentia unus est, is etiam incarnatus est: & quamvis naturam humana in unitate personæ solus filius assumperit, patris tamen est spiritus sancti quoq; accessit operatio, Trinitatis enim opera, ad extra, ut loquuntur scholæ, sunt indiuisa.

Hinc vider Christianus lector, quam iniuste hic sophista, mihi Patripassianorum impietatem & errorem adscribat, cum dicam expressè, neq; patrem, neq; spiritum, sed filium tantum incarnatum: neq; unionem personalem essentiali aliqua proprietate, sed proprietate personæ definiuerim: nisi dicere velit, potentiam genitam ingenitam, & inter utramq; nihil discriminis esse. Quod si verò hæc Lombardi ei non satisficerit authoritas ipsius Augustini verba recitemus, ne forte denuò ab ipso audiam, me nullius Patrum aut Concilij autoritatem afferre.

Filius, inquit Augustinus, quoq; est sapientia genita de sapientia, sicut nec pater ei, nec spiritus sanctus ei intelligit, sed ipse sibi. Sua enim est & ipsi memoria, sua intelligentia, suadilectio: sed ita se habere de patri ei est, de quo natus est. Spiritus etiam sanctus, quia sapientia est procedens de sapientia, non patrem habet memoriam, & filium intelligentiam, & se dilectionem: neq; enim sapientia esset, si alius ei meminisset, eiq; alius intelligeret, ac tantummodo ipse sibi diligenteret: sed ipse habet hæc tria, & ea sic habet, ut hæc ipsa, ipse sit.

Augustinus lib. 13.  
de Trin. cap. 2.

Constat ergo nunc, nisi Lombardum suum, & Augustinum abjicere velit, suam esse filij potentiam, sapientiam & virtutem, quam ipse appellat genitam, ni forte alienam, quod absurdum est, dixerimus.

Nunc

Nunc deinceps videamus, ea ne sit alteri naturæ communicabilis, humanitati videlicet.

Hic aduersarius non semel tantum affirmat, sed aliquoties repetit: *NVLL O MODO* realiter proprietates diuinitatis humanæ naturæ communicari posse. Cuius plurima in speciem plausibilia afferunt argumenta: quæ omnia eò diriguntur, ut doceant, hac ratione concessa, fieri naturarum confusionem: adeoq; humanæ naturæ in diuinitatem ipsam conuerzionem. Id cum planum fecerimus, non sequi, facile erit ad argumenta quæ sequuntur omnia respondere.

Diligenter autem meminerit Christianus lector, me in conclusionibus meis, sedulò distinxisse inter maiestatem filij hominis, & filij Dei, quæ dux naturæ in una persona Christi concurrunt, ubi diximus: *Nos humanitatem Christi, diuinitati eius non duxit sed duxit:* non essentia, sed potentia: non natura, sed gloria: non substantia, sed maiestate, secundum scripturam, id est, eo modo, quo scriptura loquitur, ex quo maxime verò id feci in conclusione 38. & 39. ubi afferui, eadem maiestate humanitatem Christi res præsentes habere, & rebus præsentem esse, qua diuinitatem, et si id alio modo fiat in humanitate quam in diuinitate, quod humanitas Christi in gloria & sit & maneat creatura, neq; in diuinitatem unquam commuteatur: ideoq; eo modo quo diuinitas ubiq; esse non possit.

Hoc ideo monendum duxi, quod antagonista subinde, & ad fastidium usq; inculcat lectori, me per omnia parem humanitatis Christi cum diuinitate ipsius in omnibus locis afferere præsentiam, quod mihi unquam ne quidem per febrim aut somnum in mente venit.

Quia verò interpretatur, me data opera modum explicare noluisse, quem semper dixi, dico & dicam esse *āgēton*, tamen, quomodo de homine Christo nos loquamur, dum parem cum filio Dei maiestatem ei tribuimus, breuiter sic explicandum duxi: ut intelligat Christianus lector, nos cum scriptura locutos, nec quicquam noui in ecclesiam introduxisse.

Ac si

Ac si quis probet & ex fundamentis cognoscere cupiat, necesse est, ut appellations rerum explicatas habeat, ne vocabulorum significatio inveniatur.

Sunt autem, ut Scholæ loquuntur, triplicia vocabula. Quædam appellantur synonyma, quæ diuersa cum sint, eandem tamen rem exprimunt: ut, natura, substantia, ðæsle, in diuinitate nobis idem significant, et si aliter atq; aliter sonent vocabula. Quædam dicuntur homonyma, quorum nomen solum commune est, sed ratio substantiae, quæ his vocabulis designatur, diuersa, ut homo: quod vocabulum & animal significat, & pictam effigiem hominis. Quædam neq; synonyma neq; homonyma sunt, sed quibus principale quiddam, & multa deinceps alia respectu huius principalis ordine quodam significantur. Genus id vocabulorum & definitionum usitatum est, quod Graeci πέντε ἀπόστολοι significans, appellant.

Ad hoc tertium genus vocabulorum referenda sunt, quæ humanitati Christi tribuuntur, quibus maiestas eius explicatur, ut sunt, omnipotencia, omnis sapientia, omnipresentia, & similia: quæ cum de ipsa quoq; diuina essentia prædicentur, neq; tamen synonyma sunt, neq; homonyma, sed ad unum & ab uno dicuntur: id est, horum vocabulorum est una principalis significatio, quibus deo & diuinitatis exprimitur: altera est minus principalis, que participationem significat huius omnipotentiae, in quam homo Christus per unionem personalem peruenit.

Ac ne quis existimet, hæc mea somnia esse, quomodo se res habeat, perspicue explicabo. Christus quomodo personale unum sit, supra dictum est, constans duabus naturis, diuina & humana in ono-  
rario filij. Huic Christo tribuitur dispensatio & viuisatio omnium. Quod non sic intelligendum est, quasi id perficiat sola diuina natura, quæ essentialiter præsens est, sine humanitate sua: etenim ratione humanitatis, secessio ad dextram Dei, quæ est nos aeterni patris, ei adscribitur. Dextera ergo patris humanitate sua omnia viuiscat, cum sit omnipotens & omni instrumentum, per quod omnia administrat, qua ratione omnipotens & infinitus dici potest, neq; significatio-

ficatione : non quia sit ipsum infinitum , sed per se infiniti , quædam  
quasi ànagla diuinitatis .

Scio alios quoq; non tam mea , quæ fuit more disputationum suc-  
cincta , quàm aliorum , copiose explicatione sollicitos fuisse : vt  
qui metuerent semper , ne forte ita humanitatis in Christo astruere-  
mus maiestatem , ne interim vel cum diuinitate misceamus , vel hu-  
manitatem ipsam aboleamus .

Sed sollicitudine & cura hac minus opus fuisset , si quam nunc at-  
tulি rationem perspectam habuissent .

Nam quod dixi , eadem maiestate humanitatem Christi res om-  
nes habere præsentes , qua diuinitatem , id cum restrictione à me sem-  
per dictum est : addidi enim , alio modo fieri in humanitate , quàm in  
diuinitate . Id aut̄ hic author interpretatus est , quod per omnia eandē  
tribuam humanitati & diuinitati maiestatem : quod ne ex minimo  
quidem disputationis meæ apice , ne dicam verbo aut oratione , colli-  
gere potuit .

Ideò enim eadem diuinitatis & humanitatis in persona Christi  
est & dicitur maiestas , quod nō̄s per humanitatem Christi omnia  
administret , id est , quod Christus est omnipotens , & non separatim  
nō̄s seipso gubernaret omnia : quod in scripturis manifestum est ,  
cum in nomine Christi non solius nō̄s sint edita miracula . Sic cum at-  
tingisset fimbriam hominis Christi hæmorroicā mulier , virtutem à se  
egressam esse , testatur filius Dei per humanitatem .

Matth. 9.

Qui ergo administrationem aliquam tribuit nō̄s sine humanita-  
te Christi præsente , id nihil aliud est , quàm ipsum hominem Christum  
à dextris Dei auellere . Per Christum , inquit Apostolus , Deus instaurat  
omnia , quæ in cælis sunt & in terra , non qua simpliciter verbum  
est , sed qua est incarnatum verbum .

Ephes. 1.

Basilius.

Quod ut à rudioribus intelligatur , similitudine ab ecclesiasti-  
cis scriptoribus usurpata in hoc negotio , & non inconcinna , expli-  
cabo . In ferro candente duas substancialēs concurrunt : altera est ignis  
calidus , altera est ferrum frigidum . Dicimus autem , sine substanci-  
arum

niarum permixtione, non modo ignem, sed etiam candens ferrum ad-  
dure. Idem est in vetero calor, sed diversa eius ratio & definitio:  
in igne enim est naturalis, in ferro autem accidentalis: unus ta-  
men, & idem calor sunt: & manent diversae, ferrum & ignis, species,  
etiam si proprietas ignis, quae est calor, ferro communicetur.

Cum autem in Deo nullum sit accidens, sed omnia quae de ipso  
dicuntur, simplicissima essentia sint, fortassis hic disputator dictu-  
rus est, non aequè fieri posse commemoratam participationem pro-  
pietatum diuinæ naturæ in humana, quam caloris ignis in ferro can-  
dente, qui calor accidens est, transiens in alienam substantiam.  
Cui respondemus: Et nobis quoq; non videri per omnia conuenien-  
tem similitudinem, quod penè permixtionem quandam naturarum  
importet: sed cum ecclesiastici scriptores ea usi sint, qui tamen natu-  
ras non dicuntur permiscuisse, visum fuit eam adducere, ut videat  
lector, quam mortale id mihi peccatum sit, quod ecclesiasticis scripto-  
ribus fuit veniale, qui unionem personalem hac ratione & similitu-  
dine explicarunt.

Sed vel hoc quoq; non parum promovit scholasticum illum, quod  
equalitatis vocabulo usi sumus in maiestate hominis Christi expli-  
canda. Sed non cogitat, nos hac in re cum scriptura locutos. Diuus  
enim Apostolus hoc modo ad Philippenses quoq; locutus est, cum Phil. 2.  
scribit: Is affectus sit in vobis, qui fuit & in Christo Iesu: qui cum es-  
set in forma Dei, non rapinam arbitratus est, ut esset aequalis  
Deo. Disputat autem eo in loco Apostolus de donis, quibus alij  
alijs præferebantur, & præstare existimabantur: quorum arrogan-  
tia hominis Christi exemplum opponit, cui non quadam dona ad  
mensuram sunt data, sed sine mensura, hoc est, immensa & infinita, Ioh. 3.  
propter quam immensitatem & infinitatem, donorum Deo sit fa-  
ctus aequalis. Verum haec non ostentauit, neminem præ se con-  
tempsit: quin potius cum in forma Dei, hoc est, aequalitate Dei es-  
set (ad quam diabolus & primus homo cum aspirarent, etiam

Gene 3.  
Roma 5.  
Ioan. 15.

qua perditi erant fælicitate exciderunt, accepit formam serui, omnium factus minister, donec nos Deo reconciliatos, gloriae suæ quoque particeps facheret.

Cyrillus lib. 8.  
Thesauri  
cap. 1.

Quod autem hæc non sit mea, sed D. Cyrilli sententia, que in octavo Thesauri libro extant, hic adscribere libuit: Altissimus Dei filius semper est ut Deus, exaltatur ut homo: Nullius indiger rei ut Deus, & tamen multa ut homo accipit. Adorabilis semper ut Deus, & nunc adorari incipit factus homo. Et iterum: Est autem humanae naturæ proprium à Deo accipere, VT HOMO Igitur PER GRATIAM ACCEPIT A DEITATE, QVOD VT DEVS NATVR ALITER HABET. Quare à se quoque ipso ut à Deo, ipsemet accipit ut homo. Et iterum: Ego sum via per quam videlicet gratia Dei ad nos deuenit: exaltans, sanctificans, glorificans & DEIFICANS nostram naturam in Christo. Quibus verbis Cyrillus docet, quæcumq; eo loco à Paulo de humiliatione & exaltatione dicuntur, de Christo secundum humanitatem intelligenda esse. Cum ergo eius sit humiliari qui altus est, prius Christum hominem alcum docet, quia in forma Dei fuit, hoc est, personaliter cum verbo unitus, qui est verus Deus, cuius maiestas hac unitione ei collata est, & in cuius possessione fuit, quem etiam pro sua voluntate, quando & ubi voluit, exeruit. Id quod ipse contextus perspicue docet.

De donis enim cum hic sit sermo, certum est nihil donatum esse diuinitati, quæ natura sua neque exaltari potest neque humiliari: cum in se ipsa suaque natura sit incommunicabilis. Virtusque autem capax est humanitas Christi, que per assumptionem à nobis factam, venit in possessionem huius aequalitatis cum Deo, quod (esse in forma Dei) hic appellat, ut si voluisset in utero & præsatio ostentare, potuisset. Sed in statu humiliationis sub forma serui eam regere voluit, donec genere humano redemptio hæc ipsa possessio plenissimè in toto terrarum orbe reuelata & patefacta esset: ut iam non modo terrestres, sed

& co-

& celestes omnes & infernales creature hanc maiestatem hominis Christi adorare cogantur.

*Vbi diligenter etiam phrasis Paulina obseruanda est. Aliud enim est ipsa forma Dei, & aliud: esse informa Dei. Prius Christo secundum diuinitatem conuenit, alterum humanitati eius: & nihil aliud est, quam cum Deo in una persona unitum omnia in celo & in terra administrare posse.*

Eodem modo etiam inter Deum & πληφουρα σε in epistola ad Coloss. 2<sup>1</sup> lossenses diligenter distinguendum monuimus. Aliud enim est Deus ipse, aliud plenitudo Dei, non quidem in Deo ipso, aut respectu illius, in quo omnia sunt simplicissime unum, sed in homine Christo, in quo participationem significat filij Dei proprietatum, cum quo factus est una persona, unus Christus Iesus.

Non minus hallucinatur aduersarius in infinitatis explicacione, quam in Christo talem fingit, quasi ipse suorum quoque bonorum rationem & modum in seipso non habeat: & non intelligit ideo infinitam dici de Deo, quod à nulla creatura possint finiri, sed ipse finiens omnia, quantæ diuinitate sint gloriae & maiestatis suæ, probè nouit.

Quare cum Christus testatur, sibi homini datum omnem potestatem in celo & in terra, id equidem de diuina natura dici aut intelligi nequit, cui nihil datum est: quin etiam, proprie loquendo, nihil habere dicitur, sed EST omnia: omnis autem potestas, est infinita potestas: quis non dixerit cum scriptura, homini Christo infinitam potestatem esse datam? Id quod alio scripturæ loco magis perspicue explicatur, qui docet, Christo non ad mensuram datum esse spiritum sanctum. Si non ad mensuram, ergo immensum & infinitum. Esse autem Christo spiritum sanctum datum iuxta diuinitatem, impietas est dicere: cum spiritus sanctus à patre & filio quā Deus, procedat. Cum ergo Christo secundum humanam naturam datus sit spiritus & sine mensura, sequitur ratione accepti spiritus infinita quoque habere dona.

Si vero aduersarius dicat, personæ datum, eadem plane ratio est, quod persona duabus naturis definiatur: & hoc modo diuinæ na-

curæ datus diceretur spiritus sanctus, quod dixi enormem esse impietatem. Datus est ergo homini Christo, sive Christo secundum humanitatem, & non ad mensuram, id est, non dimensus, ergo immensus & infinitus, ita ut Christus homo sive secundum humanitatem, infinitam potentiam, sapientiam, iustitiam, sanctitatem & præfessionem infinitam habeat, hoc enim est daris spiritum non ad mensuram. Et hæc est plenitudo Deitatis, id est, donum spiritus non ad mensuram, non ipsa natura aut substantia spiritus sancti, aut alia, sed donum inquam, homini Christo collatum, nobis apprimè necessarium. Ex hac enim plenitudine accepimus omnes gratiam pro gratia.

Ioan. 1.

Coloss. 1.2.

Ioan. 3.

Ioan. 1.

Nulla enim necessitate, sed pro liberrima sua voluntate, gratia & misericordia filius Dei sibi hominem Christum personaliter vniire, hoc est, in ipsum plenitudinem Deitatis, & spiritum non ad mensuram effundere voluit, ut non tam Deo gratus esset ad mensuram, quam gratificans, & Deo gratum faciens uniuersum humanum genus.

Quare qui hanc plenitudinem Deitatis homini Christo realiter communicat am oppugnat, quid quo alius facit, quam quod suam pariter & nostrum omnium salutem oppugnat, quam habemus in Christo Iesu?

Ioan. 17.

Ioan. 4.

Quæ ratio sola omnium animos permouere debet, ne existiment, hanc disputationem, vel otiosam vel ab instituto negotio alienam. Ac si quis recte expendat, non minus nobis in ea situm est, quam in cœnae Dominicæ legitimo Iesu: cum hæc maiestas, quid Christus sit, nobis explicet, in cuius agnitione vera salus & vita nostra eterna consistit.

Nam quod de plenitudine Dei disputat aduersarius, quæ Deus in seipso est, quis non videt, eam in omnibus creaturis esse? Vbi cung, enim Deus est, plenitudo quoq; illa ostenditur, necesse est: nisi enim qui spiritus est, in partes diuidamus. Sed dicit, non est personaliter unita cum omnibus creaturis. Quæro ergo causam, quomodo secundum definitionem unionis personalis ab ipso allatam, non esset personaliter cum omnibus creaturis unitum, maximè vero ijs que perpetuo manent.

ment & à Verbo sustentantur? aut explicet mihi, quid sit personalis unio, qua praesentia & in omnibus creaturis ab ea discernatur, quæ est in Christo Iesu? Respondet ille, unionem esse in subsistencia filii Dei. Si autem dixeris, hoc esse ignotum per aequum ignotum explicare, aut definire, quid respondebit? Sed dicet aduersarius, sic patres definierunt, sic concilia locuta sunt. Sed heus tu bone vir, ubi in scripturis extat haec explicatio Dei: Verbum subsistentialiter est unum carni? Respondet, nec duos vocabulum exprimi in scripturis à patribus receptum. Ego vero in isto, res duos explicata est in scripturis, videlicet, quod filius sit vere Deus cum patre & spiritu sancto. Tu mihi similiter dicas, ubi res in scriptura expressa sit, quam patres & concilia per subsistentialem unionem intellexerunt? Scriptura simpliciter loquitur, quod verbum caro factum sit: num vero nobis de Christo non constitisset, nisi patres per unionis subsistentialis vocabulum hanc rem explicassent? Nihil hac in parte patribus & conciliis detractum volo: sed interim affirmare audeo, nisi clarior explicatio in scripturis huius rei & horum vocabulorum extaret, nos quid Christus esset, planè ignoraremus.

Quemadmodum enim in omnibus artibus & disciplinis, vocabula artis, nisi explicentur præceptis & exemplis, obscuriora sunt, ita & haec vocabula Theologica docendi causa introducta, ex scriptura sacrae testimonijs illustranda sunt & explicanda.

Sed ut de hac vestra definitione unionis personalis loquar, docebo, eam omnibus creaturis ex aequo conuenire. Quod cum probatum fuerit, ipse videris, quomodo eos salves, quorum auctoritate & consensu vincere niteris.

Etenim ut de rebus omnibus dicamus, quatenus sunt, à Deo, suum esse habent, quod negare non potes. Deinde hoc etiam concedere nolis velis oportet, ipsorum esse ab essentia diuina sustentari: in qua sustentatione non modo natura diuina ratione essentia, sed hypostases trinitatis quoque concurrunt. Pater enim non modo per Verbi hypostasin creavit, sed per eiusdem

Acto. 17.

Ephes. 4.

Gene. 10.

eiusdem verbi hypostasis omnia quoq; sustentat, sicut ab hypostasi spiritus sancti omnia vegetantur & fountur.

Quamprimum ergo hypostasis verbi à rebus recedit, tam cito in nihilum rediguntur. Quod cum negari non possit, luce meridiana clarus, ut opinor, ostensum est, res omnes à verbo Dei iuxta huius disputatoris definitionem, subsistentia sustentari, nisi velint dicere, subsistentiam Verbi rebus creatis non adesse.

Quare si vera & sufficiens est hæc allata vnionis personalis definitio, rectè de creaturis omnibus dicemus, eas personaliter filio Dei vnitas, à cuius hypostasi & subsistentia sustentantur: nisi dicere velint, natura diuina sustentari, & hyposteses diuinitatis à sustentatione rerum recedere, quod nemo sanus dixerit.

Accusat hic censor Monothelitas ignorantiae philosophie, cuius instrumentum ipse ignorat, Dialecticen videlicet: alias enim in definiendo paulò circumspicior fuisset: Non enim ignorat, definitiones nō debere latius quam definitum patere, quod in hac definitione vnionis personalis non obseruatum est, que non modo Christo, sed etiam omnibus creaturis tribui potest.

Spiritus autem sanctus qui hæc vnionis personalis vocabula in scriptura non usurpauit, nobis tamen eam simplicissimis & perspicuis verbis descripsit: videlicet, quod verbum caro factum sit, id est, filius Dei humanitatem assumpserit, eiq; omnem potestatem dederit. An tibi hæc non videretur sufficiens Dei & hominis in una persona siue definitio siue descriptio? sicut scriptum est: Mibi dat a est omnis potestas in cœlo & in terra. Pater nō dat spiritum ad mensuram, quia diligit filium, & omnia dedit illi in manum. Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei que facit. Dixit DOMINVS DOMINO meo sede à dextris meis. Sedere fecit eum ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum, potestatem & virtutem & dominium, & omne nomen, quod non modo nominatur in seculo hoc, verum etiam in futuro. Omnia subiecit sub pedibus illius. Constituisti eum super opera manuum tuarum. In ipso inhabitat omnis plenitudo

Matt. 28.

Ioan. 3.

Psalm. 110.

Ephes. 1.

Psalm. 8.

Hebr. 2.

Coloss. 2.1.

plenitudo diuinitatis corporaliter. In quo sunt omnes thesauri sapientie & scientiae absconditi. Per quem omnia quae in celis sunt & Ephes. 1. in terris instauraret.

Hac cum sint testimonia illustria, quae docent, cur homo Christus dicatur Deus, non quia Deus sit in ipso (qui in omnibus creaturis est non modo natura, sed etiam secundum subsistentias, sicut supra demonstratum est) sed quia in assumptione carnis dedit huic homini omnem potestatem in celo & in terra, ornauit eum omniscientia & sapientia, communicauit ei omnia dona spiritus sancti, collocauit eum super omnem principatum, dedit ei nomen super omne nomen, quod nomen est Dei nomen. Et hoc est hominem quoque esse Deum. Nam de aeterna diuinitate filij, qua in se est, hic nihil disputamus, qui secundum diuinam naturam est ab aeterno cum patre aeternus Deus laudandus in secula: de homine nobis sermo est, cur hic solus Iesus Nazarenus vere dicatur Deus, quod vere de nullo angelorum aut hominum dici potest, in quibus tamen est Deus, & hypostasis filii Dei.

Quod nisi fateantur nobiscum prij omnes, sequetur, aut Christum secundum humanitatem planè non adorandum, aut si adoretur, manifestam idolatriam committi.

Qualis autem sit diuinitas hominis Christi, explicatum est supra, non diversus illa & aeterna cum patre & spiritu sancto essentia communis, sed communicata à secunda hypostasi, qua ad dextram Dei sedet: non ut hoc factus sit, quod filius Dei per essentiam est, sed à filio Dei in unitatem personæ assumptus sit.

Et ut uno verbo dicam, cum hominem Deum esse dicimus, nihil aliud per hoc intelligimus, quam quod homo ad dextram Dei sedeat: quod sedere ad dextram est hominis diuinitas, quæ alias nulli creature contingit.

Hoc Athanasius paucis verbis in Symbolo suo ostendere voluit, cum inquit: Quilicet Dominus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conuersione diuinitatis in carnem,

D      sed

*Sed assumptione humanitatis in Deum. Quid enim est carnem affluere in Deum, quam ad dexteram suam collocare, & omnem suam plenitudinem ei communicare?*

*His praemissis nunc facile est respondere ad errores, calumnias & Sophismata huius censoris, quas meis thesibus opposuit. Eas etiam breuiter percurremus, ut quid in hac contiouersia verum sit, lector intelligat.*

## **Responsio ad theses expicatorias.**

**P**rinципio, quod aduersarius inter naturā & hypostasin, cōtra Arianae, Eutychianorum, Sabellianorum, Patripassianorū & Monothelitarū hæreses, discernit, nobis quoq; probatur, nec quicquam inter nos contiouertitur. Firmiter enim credo, in diuinitate vna simplicissimā essentiam, qua totā in se deitatis perfectionem continet, res verò proprietates personales, quib. singulae personæ ab alijs discernuntur, ita per se & in se existunt, ut nullaratione in altero sustententur.

Deinde etiam diligenter discernimus inter vniōnem, qua duæ res in vnam eandemq; naturam vniuntur, & inter eam qua in persona vnitatem ( ut huius scholastici verbo vtar ) coagmentantur.

Firmiter etiam cum catholica ecclesia, sanctis patribus & concilijs omnibus, credo & profiteor, duas naturas, diuinam inquam & humanam, in uno Christo Ἰησοῦ, hoc est secundum substantiam esse vnititas. Vna est enim duarum naturarum hypostasis, filij Dei scilicet, qui non personam, sed naturam hominis in vnitate personæ assumpit. Neq; enim humana natura diuinam sustentat, sed à diuina hypostasi secunda sustentatur natura humana, idq; vi Calcedonensis synodus loquitur, inconfusè, inconueribiliter, indiuisè, inseparabiliter, nunquam sublata differentia naturarum propter vniōnem, sed potius salua vtriusq; naturæ proprietate. Quandoquidem non conuersione diuinitatis in carnem, aut carnis in diuinitatem, sed assumptione humanitatis in Deum, non confusione,

aut transuſione ſubſtantiae, aut vniuersitatis compositione, ſed vniu-  
rate perſonae, ſiuſ ſubſtantiae vnuſ eſt manetq; Christus in duabus  
Subſtientis naturis.

Fatemur etiam cum Synodo Conſtantinopolitana, quod haec  
vno non ſuſ folius gracie, gloria, virtutis & authoritatis, digni-  
tatis aut potestatis communicatio, qua etiam sanctis Dei angelis &  
hominiſibus accidit, qui ſimul omnes horum donorum particeps erunt.

Fatemur quoq; hanc vniōne non fieri per accidens, quod neq;  
perſonae neq; naturae accidens cenſeri poſſint aut debeant, adeoq; fa-  
temur vniōne hanc ſingularē eſſe, qua careat omni exemplo, quo  
perfelli, ut in ſe eſt, explicari poſſit.

Quod in XV. theſi reiicit exemplum animae & corporis ab A-  
thanacio uſurpatum, tanquam inconueniens huic mysterio explican-  
do, nobis quoq; non improbatur, quo tamen in fratre contra me non ſatis  
modestè vitetur.

Fatemur etiam vniōne hanc non factam in eſſentiali aliqua  
proprietate, ſed in ſoliſ filij hypostasi, qua à patre & ſpiritu sancto  
reipſa diſtinguitur.

Et ſicut fatemur in Christo duas indiuiſas naturas, ita & duas  
proprietas atq; operationes naturales, indiuiſe, inconueritibiliter,  
inconfusè & inseparabiliter in eodem Christo agnoscimus, alteram  
humanae, alteram diuinæ naturæ.

Sed nunc controuerſia oritur inter aduersarium noſtrum & ca-  
tholice veritatis afferentes: Num diuina hypostasis ita ſuas proprie-  
tates feruet, ut de ijs personaliter aut per vniōne perſonalem, nihil  
humanae, cum qua ſubſtantialiter vniata eſt, communicet?

Aduersarius ab initio diſerti negat, propria naturae diuinitatis  
in humanitatem transfundit, aut communicari: & manifeste affirmat,  
ſicut humanitas diuinitatem non reddiderit infirmam, ſic a diuina  
natura humanam non effectam omnipotentem.

Parūm quæſo lector hic ſubſtamus, & haec verba huīus diſpu-  
tatoris expendamus: ut totus mundus intelligat, quid ex Christo  
D 2 homine

**bomine faciat, certissimum est**, quod humanitas ne tantillum quidem diuinitatem per unionem debilitauerit. Si igitur eadem est diuinitatis erga humanitatem, quae humanitatis erga diuinitatem, communicatio, sicut in 31. propositione manifestè docet: ita humanitatem dici omnipotentem, sicut Deus dicitur mortalis. quæ, prob Deum immortalem, impietas inde sequetur, cum scripturae sacræ apertissimis testimonij pugnans?

Inde enim concluditur, humanitatem nullam planè gloriam accepisse à diuinitate, cum nulla planè infirmitas debilitauerit naturam diuinam propter unionem hypostaticam. Et ergo Christus in gloria nunc, & permanet secundum humanitatem, si aduersario credimus, infirmus, & mortalis, stultus, ignorans, &c.

In Thesi explica.  
toria. 42.

Sed quomodo cum hac ratione conuenit, quod paulò post Christo homini tantam dignitatem tribuit, qua super omnes sanctos, angelos & homines emineat, num hæc dignitas humanitatis ex nihilo creata est, an vero participatione proprietatum diuina hypostaseos comparata? nisi turpiter hallucinari voluerit, necesse est ut facatur, participatione comparatam.

Neq; enim potest hic ad solitum latibulum recurrere, hanc dignitatem personæ tribui, non naturæ humanae. Nam dignitas, de qua hic loquitur, non est hypostatica, & incommunicabilis proprietas filij Dei, sed aliquid aliud, sicut in 38. 41. 42. thesi fatetur: Inter diuinam illam, inquit, altitudinem seu excellentiam, & eam dignitatem, quæ communi hominum generi obtingere solet, singularis quedam eminentia intercedit, quam soli Christo propter unionem illam hypostaticam, secundum humanitatem, ut par est, attribuimus.

In hac igitur contradictoria confessione, si posterius verum est, quod fatetur, planum fecimus, humanitati Christi aliquam eminentiam datam realem, quæ neq; essentialis sit Dei proprietas, utpote ea inferior: neq; communis cum sanctis angelis & hominibus tanquam his superior. Et hoc modo ab ipsomet refutata

Sutata est haec propositio, quæ in 31. thesi posita est, eo modo ho-  
minem dici immortalē, quo Deus dicitur mortalis. Hec enim emi-  
nentia, de qua hic loquitur, humanitati Christi præstiterit, quod potuisse  
set non mori, sicut, inquit, potestatem habeo ponendi animam meam,  
quod nullus mortalium dicere potuit: cum voluntate sola nulla au-  
tem naturæ necessitate mortuus sit, & corpus Christi ante mortem  
verè immortale fuerit sua natura, quia sine peccato conceptum &  
natum.

Quod si eminentiam hanc dicat personæ competere, non naturæ  
humanae, quid facit, quæso aliud, quam quod etiam diuina hyposta-  
si alienam ascribat eminentiam, quæ ipsa non est, per essentiam,  
qua nunc primum sit ornata, quod impium est dicere? Nam quod per-  
sonæ tribuitur non respectu alterius naturæ tantum, id ambabus na-  
turus tribui necesse est: nisi fortassis ex duabus subsistentijs, humana  
videlicet & diuina, tertia coauerit aliqua, quæ partim diuina sit,  
partim humana, quod absurdum & impium est, affirmare.

Thes. 12.

Cum igitur veritate rei conuictus fateri cogatur, Christo non ra-  
tione persona, sed ratione nature humana in persona hanc eminenti-  
am donatam, reliquum est ut probemus tantum hoc donum, siue  
ut ipse appellat, hanc eminentiam, esse immensam & infinitam: quod  
cum probatum fuerit, nihil prohibebit, quin Christo homini non modo  
potentiam & sapientiam, sed omnem potentiam & immensam sa-  
pientiam tribuamus, id quod suprà abunde à nobis factum est.  
Quod si nondum affectus est aduersarius noster, suum Prisci-  
num consulat, & nobis dicat, quid differant omnis potentia, & omni-  
potentia. Item, quod est sine mensura, & quod est immensum, siue  
non mensuratum. Quo sensu & contextu scripture, homini Christo,  
siue Christo secundum humanitatem, & omnipotentiam attribui-  
mus, sicut nostræ conclusiones docent.

Ex quibus omnibus manifestè videre licebit, hunc disceptato-  
rem, nihil aliud quam argutas, & studio quæstas sophistificationes &  
calumnias attulisse, quas breviter etiam in confutatorijs thesibus re-  
futabimus.

## Examen thesum confutato- riarum.

**I**N thesi confutatoria quinta instituit probare, humanitatem in Christo, parem aut eandem cum diuinitate potentiam, maiestatem, gloriam, aut quamvis aliam perfectionem, sortitam non esse: quod inde sequeretur naturarum permixtio & confusio, quam unctione hypostatica ferre nequeat.

Ad argumentum hoc respondeo. Sicut supra dictum est, significacionem vocabulorum potentiae & sapientiae explicandam, quae in persona Christi significant etiam quiddam communicatum. Est enim una esse personae potentia & sapientia, respectu tamen Verbi, & ea ratione incommunicabilis, ut eadem natura fiat quoque humana potentia & sapientia. Dicitur autem etiam humanitatis potentia, quia hac ratione in personali unctione ei esse communicata, ut cum ea & per eam diuinitas omnia efficiat, sicut Ephes. 1. Apostolus testatur. Diuersa igitur ratione, eadem esse, & non eadem potentia: id quod erudit, qui studio sophistificationes non querunt, facile intelligere possunt.

Et non iniuti Hieronymi recipimus sententiam, qua execratur eorum blasphemiam, qui assertere conantur, à tempore suscepere carnis, omnia quae erant Deitatis, ita demigrasse in hominem, & rursum, quae humanitatis erant, in Deum sit transfusa, ut hac confusione utraq. substantia, Deitatis scilicet & humanitatis, exinanita, & à proprio statu in aliud sit commutata. Ab hac blasphemia tam abhorremus, quam ab ipissimo satana: neque quicquam horum nobis in mentem venit, sicut præter hanc nostram explicationem etiam scripta alia plurima in lucem edita, docent.

Non enim docemus, utramque naturam esse exinanitam, aut à proprio statu in aliud commutatam: sed permanentibus na-

curis

turis & substantijs, humanitatem summa maiestate ornatam esse,  
qua ad dexteram Dei sedet.

Eodem modo etiam responderetur ad alterum argumentum, quod assert: Si una esset in humanitate & diuinitate potentia, una etiam esset operatio, sicut Monothelitae opinati sunt. Respondemus. In Christi persona, sicut sunt due naturae, ita & duæ voluntates & mentes: adeoq; duplex operatio. Alio enim modo nō & intelligit, & aliter res hominis, id quod etiam de voluntate, reliquisq; actionibus & operationibus dicimus. Deus enim, qui actus est purissimus, suum quoque actum homini communicat, quem substantialiter assumpsit ( non eo modo quo aduersarius nostre intelligit, sed quo sacra literæ explicitant, videlicet per communicationem plenitudinis Dei ) in persona, quo & ipse suo modo cum nō omnia in omnibus agat & perficiat, per eum etenim omnia Deus instaurat.

Quam ob rem improbè facit, quod Monothelitarum hæresin impudenter mihi imputare audet, cuius nulla in meis conclusionibus habuit indicia, quam quod expresso nomine inter alias hæreses non enumerauerim.

Cur non eadem ratione Saturnianum, Menandrianum, Valentianum, Martionitā, Theodorianum, & similiter multarum alias quoq; hæreses non audiui assertor, quarum nomina aequè, ut Monothelitarum, non expressi?

Similiter quod in 10. & 11. conclusionibus dicit, suprà refutatum est, videlicet, me unione non facere in diuinæ naturæ perfectionibus: ubi ex sententia D. Augustini demonstravi, cum hypotheticè nō caro sit unita, quod nō & habeat genitam omnipotentiam, si tamen babere dicendus est, qui ipse genita potentia est. Cum hac genita potentia caro substantialiter unita est, ut & ipsa perfectionem acquisit.

quisierit, qua omnis ei potestas in cœlo & in terra data dicitur.

Neq; verò inde sequitur, si Christo secundum humanitatem suam omnipotentiam tribuamus, duos esse creatores. Facta est enim hæc vno non ab æterno, priusquam res omnes conditæ essent, sed ad constitutum à Deo tempus. Nec duo sunt Christi, sed vnum: & vna est hæc omnipotentia filij hominis cum filio Dei, etiam si rationes differant. Alter enim definitur qua est respectu Verbi essentialis, & aliter qua filio hominis personaliter est communicata, quasi per accidens, ut veteres locuti sunt. Et quid impietatis habet, quod hæc tamen ecclesia cecinit: potestate non natura creator sit creatura?

Theſi. 14.

Et rectè dicitur, id quod nos quoq; fatemur, Christum secundum naturam humanam creaturam esse: sed quod hic addit, infirmam, humilem, fitientem, &c. id non necessitate absolute, sed mera voluntate in se recepisse naturam humanam in Christo, dicimus: que si voluisset, potuisset deponere hæc omnia: sicut iam iuxta humanitatem nullo modo infirmus est, sed omnium potentissimus, adeoq; omnipotens, quia ei data est omnis potestas in cœlo & in terra. Fuit enim in forma Dei etiam in statu humiliationis, sed voluntariè seipsum humiliavit: cuius exaltatio nihil aliud fuit, quam maiestatis reuelatio, quam ab initio conceptionis sue possedit.

Matth. 28.

Psalm. 2.

Theſi. 15.

Quare nihil impediuit possessio maiestatis, eiusq; communicatio, quin potuerit patri obediens esse usq; ad mortem. Si enim potuit mori requiescente Verbo, cum quo substantialiter eo modo quo supradiximus, vnitus est, cur non etiam potuisset mori requiescente maiestate communicata?

Quod si humanitas Christi, propriea omnipotens dicenda non est, quia non possit nunc se in nihilum redigere, hoc modo ne quidem Deus ipse omnipotens esset, quia & ipse quoq; se nunc non potest in nihilum redigere: & sic aro Christi, scilicet Christus, secundum humanitatem seipsum non potuit etiam resuscitare, quomodo caro eius est viuifica, qua testimonio Irenæi nostris corporibus immortalitatem præstat? Et rectè hic dicetur cum Iudeis: Alios seruauit, seipsum

Seipsum seruare non potest, si rex Israël est, descendat nunc de cruce, et credemus ei. Matth. 27<sup>o</sup>

Nullo modo autem sic Paulus distinguit naturarum proprietates, quemadmodum hic disputator facit, ut humanitati infirmitatem, diuinitati virtutem tribuat: quin idem Apostolus in locis enumeratis virtutem humanitatis supra modum prædicat, ad quam euecta est super omnem principatum. Eph. 1. Col. 1. & 2. Ephes. 4. Psalm. 8. &c. Et qui secundum humanam naturam non nisi infirmum Christum prædicant, eos Christum non habere, audacter affirmamus. Quia summa consolatio nobis in hoc posita est, quod sciamus, homini Christo omnem potestatem datum, quod certè non est esse infirmum. Matth. 28.

Quomodo etiam homo Christus dicatur, infinitam potentiam & sapientiam esse consecutus, nunc aliquoties diximus, quod à creatura tamen finiri non possit participatio diuinæ potestatis ad dextram Dei, quām ipsa dextera Dei, quae tamen respectu Dei finita est, à quo tanquam creatore finitur. Et Deus ipse, quem unum infinitum dicimus, finitus est, quia ipse est finis omnium, & à nulla creatura finitur. Cum ergo hæc vocabula ( infinitum, omnipotens, omnipræsens, & similia ) de Christo dicuntur, quatenus homo, diximus, non eadem significatione dici, qua de ipsis diuinitate, quæ una est hypostatica verbi in Christo, participata autem quatenus ad dextram Dei sedet homo.

In eadem quoq; conclusione manifesta contradiccio est, quod in priore eius parte homini infirmitatem tantum, in posteriore vero potentiam quoq; tribuit, finitam tamen. Suprà autem diximus, potentiam Dei ideo dici infinitam, quia à nobis finiri non possit. Deum autem probè finem & modum nouisse sua potentiae & sapientiae, quam omnem participasse hominem Christum, manifestissimè scriptura testatur.

Quomodo etiam homo Christus dicatur infinitam potentiam & sapientiam asseditus, nunc aliquoties diximus, quod à creatura

E tamen

tam finiri non possit participatio diuinæ potestatis addexteram Dei, quā ipsa dextera Dei, quæ participatio tamen respectu Dei finita est, à quo tanquam creatore finitur. Et Deus ipse, quem unum infinitum dicimus, finitissimus est, quia ipse est finis omnium, & à nulla creatura finitur. Cum ergo hæc vocabula ( infinitum, omnipotens, omnipræsens, & similia ) de Christo dicuntur, quatenus homo, diximus non eadem significazione dici, qua de ipsis diuinitate, quæ una est hypostatica verbi in Christo, participata autem, quatenus addexteram Dei sedet homo.

Veritatē tandem manifestissimorum locorum scripturæ conuiclus, cùm fateri cogatur, æqualitatem Christo cum Deo tribui, confugit ad vulgare & unicum effugium suum, ut doceat, de tota persona dici, non de humana tantum natura: personæ datam omnipotentiam, & quæcunq; alia: creatæ verò naturæ id minimè ascribi posse.

Sed suprà satis responsum est, id hoc modo intelligi non posse, quod enim personæ tribuitur, id, vel propter unam tantum, aut propter veramq; simul, tribuitur. Diuinæ autem non tribui posse: quod data sit ei omnis potestas, certum est, cùm ipsa sit omnipotentia.

Ei naturæ autem datum est, quæ ante non habebat, humana videlicet, quæ & ipsa creatura est. Et infirma admodum est & labilis aduersarij memoria, qui suprà monuerit, diligenter discernendum esse inter attributa, quæ personæ propter alteram naturam tribuantur. Quare ut concedamus personæ datam omnipotentiam, negare tamen non potest, quin hoc factum sit propter humanitatem, cui soli potuit dari, & non diuinitati, cui nihil potest dari, sicut etiam nihil habet, sed per essentiam est omnia.

Nec inde sequitur, si omnipotentia Christo secundum humanitatem tribuatur, humanitatem fore incretam & aeternam, per quam omnia facta sint, idem cum patre, splendor patris, & figura substantiae eius, &c. Hæc enim unio personalis & maiestatis communis

municatio, sicut paulò ante dixi, non facta est ab aeterno, sed in tempore a Deo constituto, & initium habet.

Filij autem hypostasis, quae ab aeterno genita est a patre, dicitur splendor patris, & per quem omnia condidit, priusquam hic homo in partem sue communionem administrationis cœli & terra perueniret.

Quemadmodum autem nos nati sumus est enim filii Dei patris, ita quasi natura communione cum semper potius essentia diuinitatis natus sumus & a posteriori conficitur in homine, seu humanitate Christi. Id quod aduersario meo nouum videri non debet, cum alioqui homo ad imaginem Dei creatus dicatur. Infinitam igitur perfectionem Christo adscribimus, qua persona est diuinitatis, hoc est, Deus ipse, & natura humanae incommunicabilis. Deinde aliam quoque infinitam, ratione humanitatis, qua participat quasi per accidens a diuinitate, ad cuius dexteram sedere dicitur, qua comparatur alijs creaturis omnibus: quæ infinitas definitur per negationem mensuræ. Reliquis enim creaturis sicut sua natura finitæ sunt, ita etiam illis mensuratae perfectiones sunt datæ, quas omnes excellit maiestas humanitatis Christi, quæ sine mensura est. Data est ergo humanae naturæ omnis potestas, quatenus per eam tanquam instrumentum Deus in omnibus efficax est, sicut supra nunc aliquoties diximus.

Sed quod me scribere affirmat: humanam naturam omnipotentem esse, sicut ipsum Deum, calumnia est. Diligenter enim ( ut iam sapè dictum est ) monui, alio modo hominem esse omnipotentem, & alio modo Deum in Christo.

Neg. vero, ut hic vociferatur, inter personam et naturam non discerno, qui, quod persona datum dicitur, ratione cuius naturæ id fiat, expono.

Quod autem inter plenitudinem Dei communicatam, & Deum ipsum non discernit aduersarius, in hoc ignorantiam suam prodit, de quo cum supra dictum sit, nolo hinc plura commemorare. Nec quicquid impietas habet, si dicatur: Tuam diuinitatem in humanitate Christi

Gene. 2.

corporaliter habitare, quod Deus, qui spiritus est, in partes non dividatur: & ubiunque diuinitas est, ibi tota est, eo modo quo est.

Quam affert similitudinem de anima inhabitante in corpore, cum supra in 15. thesi expicatoria dixerit longissimo intervallo ab hac unione personali differre, vident oes responso aut refutatione opus non esse.

Ex longè crassiore philosophia de corporali inhabitatione domorum sumptum est argumentum, quas ex mea sententia colligit, debere ipsiusdem proprietatibus & perfectionibus effectas esse, quibus nos affecti sumus, qui eas inhabitamus.

Quae hæc quæso, Christiane lector, est Theologia? num diuinitas, sive natura, sive hypostasis filij, in humanitate Christi ita habitat, sicut homo quispiam in sua domo, cui nihil communicet? ô Neptunus, ô maria.

Mariae virgini matri Dei, Francisco, reliquisque sanctis tribunt eam præsentiam, qua passim invocati ecclesia Dei simul uno eodemque tempore opulentur: qui tamen ad dexteram Dei collocati non sunt. Sicut de Maria, Gabriel Biel, scriptum reliquit, cuius verba sunt: Confugiamus, inquit, ad beatissimam virginem, cælorum reginam, cui rex regum, pater cœlestis dimidium regni sui dedit: quod significatum est in Hester regina, que cum ad placandum regem Assuerum accessisset, dixit ei: Etiamsi dimidium regni mei pertieris, dabitur tibi. Sic pater cœlestis, cum habeat iustitiam & misericordiam, tanquam potiora regni sui dona, iusticia, sibi retorta, misericordiam matri virgini concepsit. Miser autem ille Iesus adeo infirmus est, & infirmus manet, ut, quatenus homo, sua ecclesiae ubique adesse non possit.

Nescio si hoc serio agat aduersarius: aut impietas huius vollos habeat etiam in pontificio regno suffragatores. Sed ad refutationem theses redamus.

Cum dicat non eadem esse: diuinitatem corporaliter habitare in Christo, & illi communicatam aut hypostaticè diuinitatem coniunctam esse, libenter ego rogarē, ut vici sim nobis dicat, quid esset illa hypostatica coniunctio? Ea enim, cum nobis Christū definit, si in scripturis non extat, verè affirmare possumus, quod sit Christus, ipsas scripturas ignorare.

rare, quod affirmare insaniam est. Si vero expressum est scripturis, que illae sint demonstrent nobis? Nam ignotum per aequem ignorantem definiri non potest, cum semper eadem obserret chorda, & cramben non sine tedium ponat eandem. Personalis unio est substantialis unio sive hypostatica unio. Persona enim, substantialia & hypostasis, synonyma sunt, & idem planè significant. Dicat autem nobis aduersarius, quid sit personalis unio, quid sit substantialis unio, quid sit hypostatica unio, hoc si dicere non potest, necesse est, eum etiam affirmare, quod nesciat, quid sit Christus, quid ueritas naturis constat, diuina & humana. Id quod de omnibus pronuncio, qui arbitraneur, Patres magis perspicue locutos esse vocabulis unionis hypostaticæ, personalis & substantialis excogitatis, quam spiritu sanctum in ipsis scriptis Prophetice & Apostolice, quibus haec dignitas, eminentia & excellētia Christi, manifestissime est explicata.

Discernimus nos quoq; inter eam inhabitacionem, qua Deus in sanctis habitat, & qua in Christo habitat homine: & dicimus, hoc unū esse ratione inhabitacionis discriminem, quod sanctis distribuat sua dona dimensa, Christo homini autem sine mensura, hoc est immensa: Sanctis dederit singulis suam potestatem, Christo homini autem omnem potestatem. Sicut Augustinus ad Dardanum scripsit: Deus qui August. Epist. 57. ubique est, inquit, non in omnibus habitat: etiam in quibus habitat, non aequaliter habitat. Et unde in omnibus sanctis sunt alij alijs sanctiores, nisi abundantius habendo habitantem Deum? Sed aliter, inquit, homo ille in Deo, quoniam aliter & Deus ille in homine, scilicet Christo.

Esse autem grammaticam tantum communicationem, si donum omnipotentie non communicetur humanitati, eo quod diximus modo, hinc videre licet. Cum enim haec personæ tribuatur, necesse est, ut aut propter divinitatem solam, aut humanitatem solam, aut propter utramque simul verè tribuatur. Nam si in neutram naturam competit, vanam esse prædicationem certum est.

Accipere autem datam omnipotentiam, de diuina natura non

poteſſe intelligi, quia ut ſuprā probauit naturae, que omnia eſſe nihil dari poteſſe: niſi dicere malimus, diuinitatem eſſe aliquid imperfictum. Humanitati autem aduersarius, eam dari poſſe, plane negavit. Ergo nec veri gemitus dari poteſſe. Quod ergo dicitur dari, & non datur, id verbotenus tantum & non re ipſa dari maniſtum eſſe. Aliud ergo eſſe non poteſſe, quam mera verbalis prædicatio, & Grammatica.

Hec diligenter ſecum expendant, quicunq; hanc conteruerſiam minus roſte intelligunt: & de ea non prius pronuncient, quam funda-  
menta eius recte percepent.

Theſis.

Paſſim vociferantur, me personam cum natura confundere, quod minime facio. Cum enim dico, naturam diuinam ſuas proprietates communicare humanitati, ſemper addo: In Chriſto, qui certè natura Deus eſſe: idq; personaliter fieri, ſicut patres & concilia loquuntur. Sunt enim filij proprietates personales, de quibus loquimur: non quod omnipotentia per ſe ſit personalis, ſed omnipotentia genita, qua neq; patris neq; spiritus sancti eſſe. Quod ſimulat ſe ignorare, de persona loquar ne an vero de natura, id aſtute fingit: hac enim ratione cupid mihi errorem imputare, qui mihi nunquam in mentem venit, videlicet: cum dicitur de persona Chriſti, quod mortua ſit, id iuxta meam ſententiam, grammatica tantum communicatione, de eo dici, non autē reipſa & verē: Id quanta calumnia ſit, lector diligenter animaduertat: unde conieeturam faciet, quo ſpiritu agitetur aduersarius, non indagandæ veritatis, ſed eius obſcuranda studio.

Quæ personæ tribuuntur, ea non voce duntaxat, ſed verē, & re ipſa tribui, affirmo, ut cum dicitur: Chriſtus eſſe mortuus, de per-  
ſona dicitur propter naturam humanam, ratione cuius potuit mori,  
& verē etiam mortuus eſſe. In quo & Deus dicitur mortuus, primo,  
quod hæc contumelia in Deum redundabat, cum quo homo perſonaliter  
unitus fuīt, quod tamen habet commune cum omnibus sanctis:  
Non te, inquit Deus de Samuele, abiecerunt, ſed me, ne regnem ſuper  
eos. Deinde etiam, qua homo ſedet ad dextram Dei, & Deum com-  
municat

i. Sam. 8.

municat personaliter, sicut scriptum est: quod Deus suo sanguine <sup>Acto. 20.</sup>  
redemerit ecclesiam suam, & Dominum gloriae crucifixerunt. Ita <sup>1. Cor. 2.</sup>  
dicimus Christum esse redemptorem & mediatorem nostrum ratione  
personæ, quia verè & realiter singularum naturarum suæ partes  
fuerunt in persona Christi, ad redimendum genus humanum: ut qua-  
tenus homo posset mori, & quatenus Deus habens communicatam  
diuinitatem, posset mortem, quæ peccatorum totius mundi expiatio  
esset, superare.

Sed quid opus est multis verbis? cum ipse met aduersarius fa-  
teatur, nihil imperfectionis ex hac vniione diuinitatem accepisse, hu-  
manitati verò maximam accessisse perfectionem. Quod si verum est,  
& non voce tantum tribuit, sed re ipsa etiam humanitati, sequitur  
certè diuersam esse prædicationē, qua dicitur: Deus est mortuus, quem  
tamen mors non debilitauerit, & quando dicitur: homo habet omnem  
potentiam, quia haec perfectio reuera & re ipsa accessit humanitati,  
sicut dicitur: Mihi data est omnis potestas in cælo & in terra. Sic  
laudarunt Deum auditores & spectatores Christi, quod talem pote- <sup>Matt. 28.</sup>  
statem dederit hominibus. <sup>Matt. 9.</sup>

Hinc manifestè appetet, quod studio dissentendi potius quam  
veritatis amore nobis contradicat. Id quod vel in 33. thesi videre li- <sup>Theff. 33.</sup>  
cet. Fatetur enim nihil imperfectionis diuinæ obtigisse naturæ, huma-  
næ vero magnam quandam & singularem excellentiam obtigisse.  
Sed interim inquit haec perfectio, quæ ex vniione illa humanæ acce-  
sit naturæ, non est idiomæ diuinum, sed humanum, non quidem na-  
turale sed gratuitum.

Hic nescio oscitantiam ne an peruersitatem aduersarij accusem.  
Suprà dixit, non alia ratione dici posse Christum hominem omnipoten-  
tem, quam qua dicitur, Deus infirmus, Deo autem fatetur nullam  
accessisse infirmitatem: hic autem de humanitate affirmat ei acces-  
sisse magnam excellentiam: quomodo ergo eodem modo hæc dicun-  
tur? hoc est altera manu porrigere, altera iterum auferre, quod ge-  
nus hominum Germani appellant, Geber / Nlemmer.

Deinde

Deinde quod addit, hanc excellentiam in Christo homine non esse diuinum idiomā, id est, ipsam essentiā Dei, non naturale sed gratuum donum, quem hic quoq; habet aduersarium? Nunquam enim diximus, nunquam scripsimus, nunquam credidimus, maiestatē communicatā homini, esse idiomā Dei, id est, &āq; subsistentiā Verbi, neq; naturale, sed gratuum & donatum, sicuti in scriptis D. Brentij perspicue explicata, & alioquoties repetita sunt. Et suprà quoq; lectorem monui, aliud esse formam Dei, & aliud esse in forma Dei: alterum enim diuinā hypostasi, alterum humanitati in hypostasi tribuitur.

Cum igitur ipse testetur, summam & singularem excellentiam Christo homini accessisse ex illa unione subsistentiali, eam autem scriptura appelles omnem potentiam, in cælo & in terra, quod aliud non est, quam omnipotentia, & donum spiritus non ad mensuram, iudicet totus Christianus orbis, veer veritati doctrinæ cœlestis magis consentanea proponat.

Quomodo enim idiomata diuinæ naturæ communicentur humanae, satis perspicue explicauimus, videlicet, non quod humana diuina fiat natura aut essentia, quæ tantum tribus hypostasibus communis est, sed quod natura humana assumpta sit à persona Verbi in eam unitatem, qua omnia per ipsum, & sine ipso nihil agat, Verbum.

Verum non satis fuit aduersario contra maiestatem Christi hominis simpliciter affirmare, & in Christo non esse fratrem, de qua nos diximus: quin etiam eo impietatis procedit, ut nec fieri vlla ratione posse affirmet, idq; Cyrilli testimonio conatur confirmare, quod dixerit: Quorum operatio & virtus indifferenter una sit, ijs necesse esse speciei unitatem seruare, sed non esse unitatem speciei in humana & diuina natura, quæ diuersæ sunt species: ideoq; virtutem & operationem non esse indifferenter unam.

Sed vicijs m audiat aduersarius, quis nunquam ex nostris dixerit, esse indifferenter, unam virtutem & operationem humanae & diuinæ naturæ? Cum quis rem quam intelligit, acceperit quoq; communicit, ut ipse quoq; intelligat, num ideo unus intellectus viriusq; indifferenter

differenter est dicendus? quoties nunc quæso de ista differentia ex meis thesibus dictum est? Quam Paulus duobus verbis p[ro]p[ter]e m explicat, ubi Deo tribuit quicquid nobiscum agit ad nostram salutem, & Christo, PER QVEM, Et, IN IP SO, quia sine ipso nihil agit nobiscum Verbum, aliter ergo de nos & simpliciter loquimur, qui agit: & aliter de Christo, PER QVEM Christum, qui est verbum incarnatum, instaurat omnia, inquit Apostolus, quæ in cælis & in terra sunt. Ephe. 10.

Quod autem tam confidenter affirmat, certissimum esse nullius proprietatem in alteram naturam seu speciem transferri posse, id vel animas Bileam refutare potest, quam locutam esse scriptura testatur, Num. 22. quod hominis proprium est. Et quid Deus possit in diuersis speciebus, & faciat quoq[ue], hæc anima loquatur: siquidem homo & animus diuersæ sunt species.

Si autem verum est, quod finita res infinitum intra se capere non possit, id quod constanter affirmit, alterum ex his neget necesse est, aut Deum non esse infinitum, aut in electis non esse totum. Quorum utrumque impium & hereticum est. Si autem Deus totus in omnibus & singulis fidelibus habitat ratione essentiae, quibus tamen se non totum communicat, sicut Christo, quomodo finitum infiniti non est capax? Augustinus inquit: Illud est multò mirabilius, quod cum Deus ubique sit totus, non tamen in omnibus habitet. August. epist. 57.

Ad thesin 37. 38. 39. 40. supra est responsum, in qua vocabuli (omnipotentia) æquiuocatione ludit. Cum enim dixerimus: aliud significare in homine Christo videlicet participationem, & aliud in diuinitate, quæ simplicissima Dei virtus est, coincidunt omnia, quæ superficie fecerunt argumenta.

Et quod inter vocabula virtutis & virtutis distinxii, scripturam fecutus sum, in qua Iesus huius vocis latissime patet. Ioan. 1. Dedet potestatem (virtutem) filios Dei fieri, omnibus qui credunt in ipsum. Hic aduersarius fortassis pro suo ingenio collegit, dat am etiam sanctis virtutib[us] filij, quia virtus & virtus unum in Deo significant. Verum in hac

In hac sententia aliud vocabulum ~~ignarus~~, quam ~~ignarus~~ in diuinitate significat. Quod autem scriptura ~~ignorans~~ alibi pro diuinitate sumit, id nihil contra nos facit. Diximus enim, hoc vocabulum neque synonymum neque homonymum, sed ad unum significans esse, principale unum & multa huius respectu significare.

Itelligi etiam hinc potest, quam iniuste me Eucychianismi hic accuset, cum non modo naturas ipsas in humanitate, sed etiam virtutem & operationem diligenter & accuratè distinguam, & affirmem: sicut in Christo sua natura diuina & humana, ita & duplum esse intellectum, voluntatem, virtutem & operationem. Alio enim modo intelligit, vult, & operatur Christus secundum diuinitatem, seipso scilicet: & alio modo secundum humanitatem, cum haec maiestas in ipsius humanitate non sit naturalis: quamvis etiam eo modo naturalis dici possit, quod à conceptione & nativitate eam possederit, & ex utero matris unione personali secum in hunc mundum attulerit, sed unione personali donata, & extrinsecus à diuinitate quasi per accidens humanitati in persona accedat, sicut supra prolixè explicatum est.

In conelusione sive thesi 42. sophisticè cauillatur mea verba. Cum enim dixerim duas naturas uniri in Christo quasi per accidens: & hoc loco etiam: Quod diuinæ per essentiam sit, id humanæ suo modo per accidens communicari, hic aduersarius astutè omis- sis meis vocabulis (Quasi, & suo modo) quibus ego ex sententia scholasticorum usus sum, simpliciter contra me ratiocinatur, unionem non fieri potuisse per accidens: alias enim ipsa diuinitas accidens esset: qua in re candor aduersarij conspicitur.

Etenim adeo rudis & rerum sacrarum ignarus non sum, ut dicam: simpliciter per accidens haec duo uniri: cum due substantiae concurrent in unitate personæ, quarum neutra accidens esse dici potest: ideoq; hanc calumniam præuenire volens, hunc modum

modum in disputationis nostræ conclusione octaua, ab hoc mysterio  
vnionis personalis diligenter removi. Quæ ergo improbias es<sup>c</sup>,  
id mihi imputare quod tanto studio refutavi? Id ut cauerem & con-  
tra hoc genus hominum munitus probè essem, Gabrielem Bibel se-  
cutus, eius quoque verba usurpauit, quæ hic inserere volui, si forte  
scholasticorum autoritate, cui plurimum ( ut opinor ) hic schola-  
sticus tribuit, mibi paulo æquior fiat. Verba eius hæc sunt: Ad Lib. 3. Senes  
Dist. 1. Q. 1.  
tertium dictum es<sup>c</sup>, quod naturam vniuersitatis alteri suppositaliter, non Dub. 2. 3.  
es<sup>c</sup> hanc fieri illam, sed hanc dependere ad illam. Imò impossibile  
es<sup>c</sup>, quæcumq[ue] distincta realiter, sic vniuersitatis, ut unum fiat aliud. Sic  
enim nec forma vniuersitatis materia, nec accidens subiecto, nec pars toti,  
ut notum es<sup>c</sup>. Sed sic intelliguntur distincta vniuersitatis, quod ex eis ali-  
quod unum constituantur per se vel per accidens. Et illo modo  
etiam ex Verbo & natura humana constituitur unum, non per se,  
sed quasi per accidens: sicut ex accidente & subiecto constituitur  
unum. Licet enim natura humana non sit accidens Verbi, tamen  
accidentaliter, id es<sup>c</sup>, contingenter vniuersitatis Verbo. Hactenus Ga-  
briel scholasticorum non postremus: qui aduersario nostro si non  
satisfaciat, reprehendat, & eius patrocinium pro virili in hac parte  
fuscipliemus.

Quod autem addit hac reali communicatione ( quam aduer-  
sarius nunc negat in totum, nunc ex parte concedit, nos autem plenè  
semper & constanter affirmamus ) hypostaticam vniunionem non posse  
effici, id iure optimo tantisper reiucere possumus, donec nobis e-  
tiam suam hypostaticam vniunionem definierit, quod hactenus ab  
ipso non aliter, quam suprà diximus, es<sup>c</sup> factum. Semper enim  
quod per se in controuersia es<sup>c</sup>, repetit idem: Personalis vnius es<sup>c</sup>  
subsistentialis, sive hypostatica vnius: quod es<sup>c</sup>, ut dixi, ignorum per  
æquè ignorantem definire.

Sæpe etiam à nobis dictum es<sup>c</sup>, quod vniunionem faciamus in per-

F 2 sona,

*suna, non in proprietate aliqua toti trinitati communi, eam tamen naturarū vniōnem, quæ per proprietatum communionem debeat definiri, aliās, quid ipsa vno effet, nemo intelligeret.*

*Eodem candore sophisticatur in vocabulo (sola) quodd dixi: sola hac reali communicatione (sola) definiri in Christo personalem vniōnem.*

*Etenim neq; genus, neq; totam definitionem, sed per hoc proprium quasi specificam differentiam notare volui, qua ab alijs creaturis omnibus discerneretur homo Christus. Nam vt suprà quoq; dictum est, in quolibet homine, imò etiam in qualibet creatura alia, due concurrunt substantiae, quarum altera est substantia verbi, qua omnia sustentantur, alia est hominis ipsius, quem & sustentat, non modo autem & & sed tota diuinitas. Verbo Domini, inquit Psaltes, celi firmati (sive facti) sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum, item: Qui est super omnia, per omnia, & in omnibus nobis. Et non ignotum est illud vulgi: Enter, præsenter, Deus hic & ubiq; potenter. Cum ergo ubiq; Deus sit essentia sua, essentia autem à substantia non separetur, distincta enim sunt, sed nullo loco aut tempore separata, quod discrimen præsentiae Dei in rebus omnibus alia inuenies, quam id quod non aequaliter sese omnibus rebus communicat, quibus tamen ex aequo essentia sua adest? Et vt reliquias differencias mittamus, de hominibus sive renatis sive non renatis loquamur, differenter sese illis communicat, id quod donorum diuinitas docet, quæ in singulis conspiciuntur, quorum tamen nulli essentia diuinitatis magis adest quam alteri.*

*Vt cung; ergo proprietas huius vniōnis non constituat ipsam naturarū vniōnem, per eam tamen vno definitur, vt solent per propria à nobis definiri vicia, cum aliter earum naturas & differentias ab alijs rebus ostendere non possumus.*

*Non ergo sola potestatis & maiestatis communicatio, efficit personalem vniōnem, qualem aduersarius fingit, & exemplo duorum principum*

principum, admodum carnaliter explicat, qui potestate, autoritate & maiestate aequales sunt, sed personis separatis: Quin potius dico, ita in unione personali conuenire, duas substancialias, ut non nuda praesentia veriusq., aut alterius absentia tantum, sed arctissima illa coniunctione definiatur, quae in conuentu naturarum substanciali communicatione fit plenitudinis Dei. Thesi. 47.

Quod ait: Natura priorem esse unionem, quam proprietatum communicationem, miror eum rationem vocabulorum hic non animaduertisse. Etenim hic non disputamus de naturis absolutis, qua scimus rationem priorem esse natura & tempore, immo aeternitate natura humana. Deinde etiam natura priora sunt subiecta suis accidentibus, et si subiectum respectu proprij accidentis, natura tantum prius sit, non autem tempore. Sed hic disputatur de unione, quae reciprocatur cum unitis, & unita cum unione: sunt enim relata & relationes. Non ergo uno communicatione proprietatum solium, sed etiam substanciali earumq. arctissimo nexu a me definitur.

Quod aucem in 48. thesi dicit: Christum sua obedientia & morte demum humanitatis suae exaltationem promeruisse & maiestatem, ex qua colligit unionem personalem, ea non posse definiri, qua ante passionem caruerit: hic aduersarius meus non modò contra Apostoli mentem turpiter hallucinatur, sed cum suo quoq. magistro sententiarum pugnat: cuius hic verba adscribemus, vt intelligant lectores, hanc maiestatem, qua nos unionem personalem in conuentu naturarum definimus, Christum habuisse, priusquam moreretur. Verba Lombardi Lib. 3. Dist. 16. haec sunt. Supradictum inquit, dictum est, quia hoc tantum bonum homo ille non meruit, quomodo ergo hic dicitur, propter obedientiam datum est ei hoc nomen? Secundum tropum illum in scriptura creberrimum, hoc capiendum est, quo dicitur res fieri, quando innotescit. Posce resurrectionem verò, QVOD ANTE ERAIT, in evidenti possum est, ut scirent homines & daemones. MANIFESTATIONE ergo illius hominis donavit ei Deus posce resurrectionem. Vides hic Christiane lector, Christum non caruisse maiestate

ante passionem, sed eandem habuisse semper: in quam, scriptura testatur, quod per suam mortem sit ingressus. quod videlicet verba scriptura in omnibus eiusmodi dictis, per tropum sint intelligenda, quores fieri dicitur, quando innotescit.

Petrus Lombardus lib. 3. dist. 13. Similiter etiam loquitur alio in loco: Quantū, inquit, ad visum hominū, & sui sensus ostensionem Christus profecisse dicitur: proficiebat ergo humanus sensus in eo, secundum ostensionem, & aliorum hominum opinionem.

**Lucus 2.** Nihil ergo noui accessit Christo progressu temporis à conceptione, & post mortē, quantū ad ipsius personā attinet, quod ante a nō habuisset, qui fuit plenus gratia & sapientia ab ipsa conceptione: sed hoc tantū (cum secundum naturā humanā potuisset nō mori, voluerit aut propter nostrā salutē mori, ideoq; etiā serui formā accepit) quod redēptione parata, deposuerit hāc serui formā, & factus sit iū impassibilis, eo modo videlicet, quod nō velit amplius mori: eiusq; maiestas nunc toti terrarū orbi patefacta sit, quā potuisset patefacere etiā ante mortem suam, si voluisset. Eā enim habuit, & noua ei non accessit: sed hoc tantū, quod eam non manifestauerit semper.

**March. 17.** Ideoq; cum scriptura dupli ratione loquatur de hac maiestate hominis Christi, ad collendam hanc contradictionis speciem, quomodo intelligendae sint singulæ sententiæ, diligenter attendendū est. Alias enim affirmat, quod habuerit eam ante passionē, sicut Ioan. 2. dicitur: Et manifestauit gloriā suā, id quod etiā in monte Thabor factū est. Alias autem loquitur, perinde ac si ante possessionē nō habuisset, sicut dicit Christus: Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suā? & similia scriptura dicta multa extant, quæ facile conciliari possunt. Nam spiritus sanctus sibi ipsi non contradicit, sed de una & eadem re alio atq; alio modo loquitur.

Modus enim sessionis ad dexteram Dei est duplex: alius habituatus, ut scholæ loquuntur, quādo videlicet Christus à conceptione sua habuit omnes suos hostes subiectos: quos tamen vincere nō voluit, nisi sua obedientia. Eosq; etiam superare non potuisset, nisi ante mortē suā ad dexteram Dei collocatus esset. Alius est habitualis & actualis simul, quomo-

Quomodo Christus non modo vicit inimicos suos, sed ipse quoque est factus aeternus, & non amplius moritur.

Qui ergo posteriorē modum sessionis ad dexteram Dei, qui est ostensionis, ita affirmat, ut priorem neget, dicendo: Christum ante passionem & mortem suam non esse ad dexterā Dei collocatū, quam praeclarè sentiat de victoria Christi, quam per statum humiliationis exercuit, oēs verē pīj iudicent. Ego intrepidē cū scriptura affirmo: quod Christus nos redimere non potuisset, nisi ante mortē suā ad dexteram Dei collocatus esset. Quid aduersarius & complices eius credant, ipsi viderint: hīc certè manifestam scripturam, & suorum doctorum consensum unanimem oppugnant.

Errat etiam aduersarius, quod inter gloriosum Christi corpus, & qua est maiestate hac donatum, non discernit, sicut suo loco ostendimus. Maiestatis enim huius, humanitas Christi, non minus qua physicum & patibile corpus, quod habuit, capax fuit, quam nunc gloriosum, sicut paulo ante demonstratum est.

Quod dicit de corpore Christi in sepulchro racente, quod maiestatis Thesi 50.51.  
diuinæ, pro ratione qua diximus, non fuerit particeps, miror quomodo non intelligat, quod hæc ipsa maiestas à corpore non recesserit: cum Verbum quatenus incarnatum fuit, hoc est, cum homine personaliter unitum, in sepulchro conseruauerit, ne videret corruptionem.

Quoties autem de plenitudine Christi dicimus, non intelligimus eam, qua Deus ipse est, sed quatenus in persona homini Christo communicata est, quā habet ex hypostase filij Dei, qui plenissime Deus est, & suam plenitudinem, eo quo sape nunc diximus modo, homini communicauit. Ideoque non minus improbè Sabellianismi & Patropianorū impietatis, quā aliarum heresew me accusat, qui tres hypostases in una diuinitate agnosco, quarum altera tantum carnem in personæ unitatem assumpit.

Astutiè autem denuo de patris, filij, & spiritus sancti, quæ natura est, maiestate loquitur, dissimulans qua ratione à patribus hoc ipso, distinctæ sint personæ. Quamuis enim duos ynum sint potentia patris & filij, patris tamen potentia dixerunt increata & ingenita, filij

Petrus Lombardus lib. 1. dist. 32. August. de Trin. lib. 1. cap. 7. filij genitum, spiritus sancti procedentem, quae distinctio cum videatur suis calumnijs minimè profutura, eam data opera silentio praeteriuit.

Ne autem illa esset hæresis, cuius notam mihi non inureret, ex me quoq; tandem Nestorianum facere conatur, qui absq; conuentu duarum naturarum, sola maiestatis, potestatis, authoritatis, virtutis & energiæ communicatione, unionem personalem in Christo definitam. De qua atrocí calumnia cum paulò ante dictum sit, plura hic nolo dicere, sed lectoris iudicio committo.

Sed tantum abes; ut id mihi unquam in mentem venerit, videlicet, ut sine conuentu naturarum unionem personalem definit, quin eum in omnibus creaturis demonstrauerim, ad quarum differentiam hunc ipsum conuentum per proprietates definitendum esse probauim.

Hoc solum addere vixim es; si Cyrillo credimus, hanc ipsam fuisse Nestorij hæresin, quam aduersarius proficeret, qui cum duas naturas in una hypostasi confiteretur, communicationem idiomatum noluit admittere: ideoq; personam diuidisse, & naturas separasse scribitur. Qua de re Christianus lector plura videat in libro, quem D. Lutherus S. memoriae de conciliis scriptis. Qui ex omnium Pontificiorum scriptis, quæ Nestorij hæresis fuerit, difficulter eruere posuit: cum Nestorio etiam hostes sui testimonium perhibuerint, quod in uno eodemq; Christo etiam in viro matris duas naturas unitas fateretur: nec Arrij dogma probauerit, Mariam autem electorop; esse, dicere noluerit.

Vide appendicē in Cyrillo de do-  
gmate Nestorianō  
Quare nihil certius es; quam Nestorij dogma eos tueri omnes, qui unionem personalem definiunt, solo naturarum conuentu, qui fit in subsistencia verbi: qua diuina hypostasis humanam sustentet, nulla proprietatum participatione facta. Haec causa es; quod Lutherus affirmet, non satis damnatam esse Nestorij hæresin, & plura atq; adeo maiora in eo damnanda fuisse, quam quod Mariam electorop; noluerit affirmare.

Ex

Ex hac ignorantia proprietatum essentiae & personarum in Trinitate promanat, quod in 55. thesi colligit aduersarius: communicationem maiestatis non posse efficere personalem unionem, quod trium personarum in trinitate sit una maiestas, sed non una persona, &c.

Sed hanc obiectionem ipse in sequenti thesi solvit, ubi dicit, quod communicatio potestatis, virtutis, maiestatis, in genere considerata, ad id non sufficiat. In genere autem consideratae, sunt essentiae, & hoc modo una est maiestas, potentia & virtus trium personarum in trinitate. Si autem non in genere, hoc est, ratione & ceteris, sed in individuis, hoc est, hypostasisibus consideres, longe alia est in singulis personis consideratio, cum omnia in hypostase patris sint ingenita, in filio autem omnia genita. Et sicut pater non est sapiens aut potens, sapientia & potentia filij, quasi ipse non habeat suam quoque, quo ad hypostasin, sapientiam: ita filius non est sapiens hypostatica sapientia patris, aut potens potentia patris, aliena scilicet.

Cum igitur in diuinitate communicatio sit proprietatum in substantia (nam ratione substantiae una est & simplicissima patris, filij, & spiritus sancti potentia, sapientia, virtus, maiestas, quae tamen in hypostasisibus differunt, quod alia genita sit, alia ingenita) ideo etiam haec in essentia est uno, non in hypostase.

Communicatio autem proprietatum diuinæ naturæ in Christo, non sit ratione substantiae, qua ratione tanquam diuersæ species, Deus & homo, id est, verbum & humanitas longissime differunt, sed ratione personæ Verbi, quæ carnem assumpsit, ideoque hic personalis unio fit, quod in personis trinitatis fieri non potest, ubi longe est arctior unio & communicatio, trium personarum, quam est in persona Christi duarum naturarum: illa naturalis, hæc personalis dicitur.

Quapropter hic quoque insignis impudenter in aduersario meo conspicitur, qui Nestorij hæresin mibi imputare audet: cum, quæ illa fuerit, mibi explicare nequeat. Et cum supra me Eutychianum fecerit, qui conterariam plane Nestorianæ hæresin defendit, aut superius aut

Hic iniuste me damnatum esse, omnes vident. Si enim sum Eutychianus, quomodo in hac vna & eadem controuersia Nestorianus esse possum? & si Nestorianus, quomodo Eutychianus ero?

Contra vitramq; impietatem credo & profiteor: quod in uno Christo, sicut Ephesina synodus habet, non sola societate, quae secundum dignitatem, authoritatem, & potestatem est, sed & conuentu, qui per unitatem factus est, naturali, uno personalis definienda sit, sicut supra quoque dictum est. Hac si quis non recipiat, aut cauilletur, iudicio Domini permittendus est.

*Thesis 59. ex meritis calumniis consarcinata est.* Prima: quod affirmat, me sola virtutis seu potestatis, & nescio qua maiestatis vnone humanitatem cum verbo sine conuentu naturarum coniunge: quae calumnia nunc aliquoties refutata est, ubi ostendi, in substantia verbi humanitatem filio Dei unitam, quam ab omnibus creaturis maiestatis communicatio discernat.

Altera est calumnia, quod simpliciter ex aequem humanitatem diuinæ naturæ esse, per quam ipse nihil aliud quam diuinam essentiam intelligit. Ego vero, quatenus eam in persona participat humana natura, cuius alia est ratio, quam in diuina essentia.

Tertia calumnia est, quod affirms, me naturas, earumque proprietates in Christo confundere: id me non facere, supradictum perspicue docui. In primis verò fruolū est, quod asserit, me humanitatem Christi obscurare, cuius maiestatem, secundum scripturas ut extollam, unice propositum habeo: & hoc unum ipse agit, ut demonstret, me Christo secundum humanitatem, nimiam gloriam & maiestatem, eamque non debit am adscribere.

Sed ut me omni genere atrocissimorum criminum & scelerum operiat, tandem etiam possit haereses multas, me sacrilegum proclamat, qui sacra legis verba suffratus sim ad insana mea dogmata confirmanda. Sed ab hoc scelere me facile absoluunt omnes pri, cum intellexerint, me simpliciter, & sine omni depravatione scripturæ testimonia recitasse, quæ de maiestate hominis Christi loquuntur, ad dexteram

Dei super omnem principatum collocati: eorumq; explicationem, quæ  
fide à me facta sit, omnium piorum iudicio committo.

Quod autem maiore perspicuitate à patribus vel concilijs hæc  
filii hominis maiestatas explicata sit, quam in scriptis Apostolicis hoc  
mibi aduersarius nondum persuasit: cùm ipse tam accurate in eorum  
lectione & Decretis versatus, nobis nihil aliud proferre potuerit,  
quam vniōnem personalem, esse vniōnem subsistentialē: & quid  
vtrumq; sit, planum facere non possit. Quæ si pro vera definitione  
personalis vniōnis habenda sit, non modo omnes homines & anima-  
lia, sed etiam omnes creaturas Christos faciemus, quæ omnia hypostata-  
sa Verbi sustentantur, cum quibus tamen personaliter vnitus mini-  
mè est dicendus. Atq; hoc modo non disputabitur amplius, quod ha-  
ctenus in scholis factitatum est, an Deus possit suppositare aīnum,  
sed iuxta aduersarij mei definitionem vniōnis hypostaticæ, iam iam  
factum sit, & cottidie fiat.

In 61. & 62. per epilogum quinq; insignes calumnias ( ne quid  
grauius dicam, id quod equidem authoris vanitas merebatur ) repe-  
tit. Prima est, me ab ipsius Orbi fauibus reuocare omnes hæreses  
damnatas: altera, cū Monothelitis me proprietates naturæ in Chri-  
sto confundere: tercia, cum Eutychete naturas in vna essentia coniū-  
gere: quarta, cum Nestorio personas in uno Christo distinguere &  
separare: quinta, cum Sabellio Patrīpafiano, patrē, filium, & spiri-  
tum sanctum in persona vniire, totamq; Trinitatem incarnare. Hæc  
si vñquam mihi in mentem venissent, vellem nomen meum in  
terris perpetua obliuione deletum, quæ aduersarius ex depravatio-  
ne meorum verborum improba & malitiosa colligit. De quibus om-  
nes eruditū iudicent: possum enim, sicut nunc aliquoties dixi, in toto  
Christiano orbe singulos Christi fideles, pios & intelligentes ferre  
iudices.

Nec subterfugio iudicia & censuras veterum Synodorum, quæ in  
afferendis naturis, earumq; veritate occupatae fuerunt.

Et quoniam vociferatur καρδιοτύπων, scilicet, me verbis tantū hare-

ticorum commemoratorum impietatem damnasse : denuo ad piorum & eruditiorum iudicium prouoco. Nam, sicut dixi, nihil eorum, quae proposita sunt in hac disputatione, à me recens est ex cogitatum, sed quod D. Lutherus piæ memoriae, Cinglianis ante multos annos oppo-  
suit: & inter nos tres neminem habuit, qui ipso viuente ei contradi-  
xerit: idemq; D. Brentius plurimis scriptis contra Bullingerum &  
Martyrem repetivit, hoc ipsum ego publica disputatione discutiendū  
proposui, ut sententiarū accurata & diligentē collatione facta, oīs vi-  
derent, quid roboris haberet: & veritatis firmissimis fundamentis  
perspectis, qua in parte hactenus erratū esset, omnes intelligerent: &  
quod in ipsis est, ad pacem & concordiam ecclesiæ restituendam non  
decessent. Hec, ut me Deus amet, & nō alia fuit consilij mei ratio, ut  
hac publicè disputanda proponerem.

Nec erubesco affirmare constanter, qui hanc doctrinam de mai-  
estate hominis Christi, à Luthero traditam & explicatam, oppugnant,  
eos vel Papistas esse crassissimos, qui nescio quē ascēsum & descensum  
corporis Christi ē cælo in panem fingunt: aut ex substantia panis ma-  
gica virtute verborum suorum, nouum corpus fabricare: aut cum  
Cinglianis facere in corde, quicquid ore proficeantur.

Quæ causa etiam fuit, accuratione diligentia cogitandi de toto  
hoc negotio, quòd viderem eius explicationem facere ad eruendam  
veritatem de eū xp̄sia, quæ infinitis erroribus fuit obscurata: sicut  
Scholasticorum disputationes testantur, adeò absurdæ & insulsæ, ut  
existimem, Christianum orbem magis portentosas non vidisse, quam  
hæ sint in scriptis scholasticorum de Eucharistia disputationes, do-  
nec Rom. Antichristus ad eas omnes sepieliendas per suos iuratos in.  
Anno 1215. Concilio Lateranensi impiam transubstantiationem confirmari:  
celebratum. de qua tamen ferè tot sunt sententiae, quot scholasticorum libri, ut-  
cunq; omnes ferè communem errorem amplectantur & approbant.

Et hoc est vñcus, quod, ut opinor, animum aduersarij contra me  
commouit: nisi fortè odium personæ maius fuerit, ut sese disputationi  
meæ opponeret. Videlicet idolum suum confistere non posse,  
si quam

*si, quam de maiestate hominis Christi proposui veritatem, maneat inuita.*

Hinc factum existimo, ut Glossæ, quam de Christi corpore attuli, nullam penitus fecerit mentionem, sed alto silentio preterierit: Quàm cito videlicet dentibus teratur species, tām cito in cælum rapi corpus Christi. Intellexit enim, quàm absurdum sit dicere: *corpus rapi in cælum, quod perpetuò in cælis esset, & ecclesiæ non diutius adesset, quàm species dentibus teratur.* quis sanæ mentis hanc impietatem approbarer? Cum hoc igitur conficto ascensu & descensu corporis Christi, quem scriptura sacra ignorat, postquam vedit hanc maiestatem pugnare, qua Christus sine omni mutatione loci ubiq, locorum sue ecclesiæ adesse posse, existimarunt omnes ingenieruos intendendos, ne hæc maiestas innotesceret.

De Cons. Dist. 2.  
C.tribus gradibus,

Sed quomodo eius propositum in eucharistia confirmet, postea dicemus. Nunc in refutatione procedamus.

In reliquis enim thesibus propositum habet contra me probare, *corpus Christi sine humanitate eius, corporaliter non ubiq, locorum adesse.* Idq, me, contra luculentas scripturas & patrum sententias, *vnica solius Lutheri autoritate, magistri mei, qui tot hæreses author fit, & vnica ratione humana tueri.*

Hic ante omnia lector denuò de candore aduersarij mei admonendus es, qui statum controversiae fingit, quem in meis conclusiōibus nusquam inueniet, videlicet: *corpus Christi esse ubiq, corporaliter.* Cum enim per aduerbiū (corporaliter) pleriq, intelligent nihil aliud, quàm eum modum, qui es iuxta suas dimensiones, longum latum & altum, tantum abes ut mibi vñquam tam portentosa opinio in mentem venerit, quin expresse tres modos præsentia in 50. 51. & 52. Positionibus meis recensuerim, ubi primus, qui es corporalis, ab ipso Luthero in hoc negocio explicando reprobatus es.

Et si sì a πατέρεσ differunt, haec duæ propositiones: *Christus ades in cæna corporaliter, & Corpus Christi ades in cæna corporaliter.* Prior enim propositio docet, Christum in cæna non solum iuxta diuinatatem

sitatem sed etiam iuxta humanitatem suo corpore adesse, id quod  
suprà verbis Lucherii diximus fieri iuxta modum dexteræ Dei sibi  
communicatum, ad quam secundum humanitatem collocatus est. In posteriore autem propositione per vocabulum ( corporaliter )  
dimensiones intelliguntur: ut dicatur secundum longitudinem & la-  
titudinem & altitudinem, in cœna adesse, quod nemo, nisi absurdissimi quidam ex scholasticis dixerunt.

Ideoq; diligenter & accurate discriminem harum duarum proposi-  
tionum consideret pius lector: tum non modo fraudem mei aduersarij  
deprehendet, sed etiam ecclesiarum nostrarum doctrinam rectius per-  
cipiet, quæ iam inde ab hoc exorto certamine ea suspicione labora-  
runt, quasi crassam, carnalem, & iuxta dimensiones suas corporis  
Christi in cœna credant præsentiam, quæ calumnia aliquoties à Lu-  
thero est refutata.

Cum igitur dicamus: Christum secundum humanitatem etiam  
eo modo vbiq; adesse, quo ad dexteram Dei sedet, quæ nullo loco defini-  
ta est, nisi dicere velimus, eum tantum ad partem dexteræ collocatum  
esse: id quibus rationibus aduersarius euertere conetur, audiamus.

Principio quod probavi, hanc maiestatem Christo rectè tribui,  
quia nō in hunc hominem plenitudinem diuinitatis effuderit, ad-  
uersarius hīc nihil aliud respondet, quam hanc rationem & senten-  
tiā meā erroneam esse. Quia verò suprà non modo demonstratum  
sed etiam perspicue explicatum est, quomodo hanc maiestatem divi-  
nitatis sine naturarum confusione communicauerit humanitati in per-  
sona Christi, eò lectorem breuitatis causa remitto. Vbi etiam ad ine-  
ptam similitudinem responsū est, quam hīc non sine fastidio repe-  
tiuit: duos principes posse esse pars maiestatis & autoritatis, qui  
tamen diuersis locis habitent. Cum enim subsistentia filij, & natura  
humanitatis coniunctas, & nullo interuallo loci, sicut principum per-  
sonas disiunctas, dixerimus semper, maiestatis communicatione ho-  
minem Christum à reliquis rebus omnibus discerni affirmauimus.  
Nullo autem modo dixi in Christi persona concurrere tantum ma-  
iestatem

refutem & virtutem, quod aduersarius aliquoties odiofissime repetit.

Quod autem similitudine solis demonstrare conatur: ideo corpus Christi & & & in loco non esse ubi operatur, id quomodo Lutherus, pie memoriae, intellecterit, in centesima & centesima prima, positionibus meis explicui, videlicet, cum dictum est corpus Christi adesse substantialiter, non iuxta rationem huius seculi, sed iuxta modum à divinitate communicatum: quæ ut cuncti similibus quibusdam adumbrare, sed nullo modo explicare possumus, quod nihil simile in rerum natura existat. Acquirit enim humanitas Christi sibi nouum esse, quo in filio Dei persona unum personale constituit, quod esse aliud est ab eo, quod nos in rebus naturalibus & dicimus: & propter vocabulorum penuria eo tamen utimur etiam in hoc mysterio explicando.

Et absurdissimum est dicere, eo modo Christum hominem adesse ubique locorum, quo princeps quispiam per universam prouinciam suam, qui per vicarios omnia perficit absens. Christus vero ita in terris vicaria utitur opera ministeriorum suorum, ut ipse tamen praesens sit eis, eo modo quo diximus, & omnem virtutem praeflet, cui homines tantum ministrant.

Quod autem aduersarius dicit: sufficere ad hypostaticam naturalium unionem, si diuina humana suam subsistentiam communiquerit, & aliquo in loco humanitas sit, in quo etiam ipsa adesse divinitas: quis non videt hoc modo, singulos homines Christos fieri, & Christo per omnia pares? Quia ut nunc aliquoties diximus, in quolibet homine subsistentia filii Dei, quæ nihil aliud est quam ipsa persona, sive ipse filius Dei, & hominis natura concurrunt, & utibuntur. Petrus vel Paulus, aut quaecunque alia creatura est, ibi etiam diuinitas est. Dicere autem nos Christo per omnia pares, impietas est ex aduersarij doctrina promanans.

Luth. Tom. Getut.  
3. fol. 392. fa. 2. libens.  
Anno 1556. iiii.  
prelio.

Inconstitiam autem & ruditatem aduersarij, in exemplo animalium & corporis satis mirari nequeo, quod cum supra reiecerit tanquam mulieris modis inconveniens ad hoc mysterium explicandum, nunc secundo ex eodem argumentetur.

Deinde

Deinde quām monstrosa sit collectio, vident omnes, si, vbi cunq;  
esset anima, ibidem & corpus esset, sequeretur, pedem esse in capite,  
& caput in pede, & in qualibet corporis parte: cū anima sit in toto  
corpo & qualibet eius parte tota.

Ad integratam hominis certè requiritur integritas corporis  
& animæ: & quia anima omnes partes corporis informat, adeo quod su-  
stentat tanquam nobilior pars hominis, ita rectissimè dicitur, de in-  
tegro homine: vbi cunq; est corpus, ibi etiam est anima, & hoc non  
modo de toto corpore dici potest. sed etiam de singulis partibus ho-  
minis, quia anima est tota in qualibet parte. Sed inde nullo modo  
sequitur, pedem debere esse in capite, cum singula membra informet  
vna & eadem anima: & alio modo sit in capite, alio in corde, & alio  
in reliquis membris, quæ singulis membris suam essentiam præstat.  
Quare si similitudo animæ recipienda esset, manifesta quoq; esset om-  
nibus victoria veritatis ex parte nostra.

Neq; verò contradicit nobis Augustini sententia, quam ad Dar-  
danum scripsit: Non esse consequens, quod in Deo est, ita sit vbi que  
sicut Deus. Neq; enim vniquam diximus, eodem modo vbiq; esse hu-  
manitatem, sicut diuitatem. Diuitias enim simplicissima est es-  
sentia, & vbiq; tota. Humanitas autem per modum maiestatis vbi-  
que Ecclesia præsens esse dicitur: quæ maiestas non est humanitatis  
essentia, sed essentia humanitatis per modum maiestatis vbiq; præ-  
sens est. Ideoq; hæc Augustini sententia nihil contra nos facit.

Confugit autem aduersarius ad nouam quandam distinctionem,  
quæ omnibus suis partibus eodem recidit. Alia, inquit, questio est:  
an humanitas ex eo, quod Verbo unita est, habeat, ut vbiq; corpo-  
raliter sit præsens. Alia vero, si per omnipotentiam Dei, alia deniq; si  
ipsa sortita sit potestatem, qua seipsum vbiq; vel in pluribus locis  
valeat collocare?

Sed quid opus erat hac distinctione, cū subsequentibus argu-  
mentis disertè demonstrare contendat, simpliciter & nullo modo Chri-  
stum secundum humanitatem vbiq; præsentem esse posse?

Maxime

Maxime verò spiritum vertiginis in hoc Theologo videre licet, dum fatetur humanitatem Christi omnipotentia Dei in pluribus locis existere posse, id autem ex naturarum hypostatica vnione non consequi. Aut igitur persona filij Dei non est omnipotens, aut sine illa ex seipsa habet hoc humanitas Christi. neutrum horum conceder, ut opinor, aduersarius. Reliquum ergo est, eum aut planè despere, aut affirmare debebit, quod ex vnione personali hoc habeat priuilegium, hanc eminentiam & dignitatem Christus secundum humanitatem, quam aliâs nullus sanctorum habeat: siquidem non modò de ea præsentia agitur, qua in cœna adest, sed de ea etiam, qua tanquam Deus & homo vñq; ad consumationem seculi ecclesie sue adest. Ego, inquit, non diuinitas mea tantum, ego, inquam, sum vobis vñq; ad consummationem seculi. De persona, hoc est toto Christo, dicitur, non de natura altera tantum.

Ideoq; intrepidè affirmo, si humanitas Christi vbiq; esse potest, eam aliunde non habere, quâm ex vnione subsstantiali cum Verbo, quod cum sit omnipotens, suam etiam omnipotentiam in homine Christo exerit, ut cum ipso nō, à quo non separatur, vbiq; præsens sit, si-  
cuit suprà copiosè demonstrauimus.

Sed audiamus aduersariorum, quibus argumentis probet humanitatem Christi vbiq; præsentem esse non posse. Humani corporis proprietas, inquit, est certo loco circumscribi, Christus in gloria habet verum corpus, ergo loco certo circumscribitur, idē Damasceni & Nazianzeni testimonij confirmat.

Hoc præcipuum est Cinglianorum argumentum, quo absen-  
tiam corporis Christi in cœna probare conantur.

Ad hoc argumentum toties responsum est, cùm à nostris, tum etiam ab ipsis Papistis, ut pigeat me cum tædio lectoris idem toties repetere. Alia est consideratio corporis Christi sue physici sue glo-  
riosi: alia est qua vnam personam cum Verbo constituit: physico loco in terris circumscriptum fuit, nunc in gloria seipso, pro natura spiri-  
tualium & gloriosorum corporum, definitur. Quatenus vero vnum

H      personale

*Personale constituit, nullo loco definitur, quia ad dexteram Dei collo-  
catum est, quæ dextera neq; certus aliquis locus est, neq; loco defi-  
nitur, sed infinita Dei potentia & virtus, quæ cælum & terram  
impler.*

Thesi. 78. 79. *Alterum argumentum Cinglianorum de sumptu est à proprie-  
tate Dei, cui soli competit ubiq; presentem esse. Respondeamus per di-  
stinctionem: Per essentiam & simpliciter soli Deo competere: sed per  
maiestatem quæ humanitati Christi accidit, etiam humanitati com-  
petere, sicut suprà copiosè scripture testimonijs confirmatum est.*

Gab. Bihel lect. 46. *Quod si nec mihi nec scripturæ fidem adhibere voluerit, saltem  
suis scholasticis credat, quorum verba adscribere libuit: Conceditur  
in Canonem Missæ, inquit, quod idem corpus posset per diuinam potentiam de facto esse  
ubiq;: nec sic esse ubiq; est proprium Deo, sed esse ubiq; per naturam  
propriam, ita quod impossibile sit, esse locum, in quo non esset, est  
proprium Deo: & hoc nulli creaturæ communicatur.*

*Neq; inde sequitur, si ubiq; sit, creaturam non permanere, siqui-  
dem non eo modo ubiq; est, quo creator: alia non similitudo aliqua,  
sed identitas esset, in natura humana & diuina, quod per febrim nun-  
quam somniauiimus. Et hæc quidem ad tertium Cinglianum argu-  
mentum, quod aduersarius ad stabiliendum suum errorem afferit.*

*Quartum Cinglianum argumentum aduersarij sumptum est  
à conceptione Christi: Si vno personalis efficeret præsentiam humani-  
tatis in omnibus rebus, sequeretur eum à primo conceptionis mo-  
mento ubiq; fuisse: scripturam autem testari, simul & semel in uno  
loco tantum fuisse, & de loco in locum commigrasse, in quam senten-  
tiā multa loca citantur. Matth. 4.14. Ioan. 11. Matth. 27. que for-  
tafis ut aliqua parte laboris subleuaretur, ex rapsodijs Cinglianorū  
descriptis, his enim vtuntur, & in eis omne praesidium suum collocant.  
Ad hoc argumentum etiam responsū est, sèpè per distinctionem  
actus primi & secundi. Christus enim à conceptione hanc maies-  
tatem habuit, & in possessione eius semper fuit secundum humanitatem  
ex eo tempore, quo in unitatem persona à Verbo assumpta est. Hanc  
possessione*

possessionem scholæ appellarunt actum primum. Sed iuxta secundum actum dicitur non ubiq; fuisse, hoc est non semper & in omnibus locis exeruisse hanc maiestatem, sed ubi, quando & quoties voluerit, sicut in Cana Galileæ, reliquisq; miraculis suam gloriam ex parte demon- Joan. 21 stravit, ut doceret in quam maiestatem esset electus. Similiter & in templo cum duodecim annorum esset, & cum legisperitis ex scripturis disputaret, de rebus quas nullo praecepte dicerat.

Quintum argumentum Cinglianorum est, quod aduersarius Thesi. 22 affert: Si humanitas Christi ab incarnatione ubiq; esset, sequeretur, priusquam nasceretur, eum etiam extra uterum maternum corporaliter fuisse, & ita ex utero non egressum. Ad hoc argumentum etiam suprà responsum est, corpus Christi corporaliter non nisi in utero matris fuisse, sicut etiam extra uterum in uno tantum loco simul & semel corporaliter fuit. Sed hic corporalis modus non obstat, quominus alio modo, scilicet iuxta naturam & rationem dexteræ Dei, in multis locis esset, qui corporaliter sese loco non mouet. Neq; nos unquam dicimus, corpus Christi corporaliter esse, ubiq;, sed modo spirituali & cœlesti, quem scriptura per sessionem ad dexteram Dei definit,

Sextum Cinglianum argumentum quod affert, est. Si corpore Thesi. 23. Christus ubiq; præsens esset, ergo ubiq; patiebatur. Sed in uno tantum loco passum est. Ergo, &c. Eadem est huius quæ & superioris argumenti solutio. Christum corporaliter passum esse in uno loco, in eius passione sicut requieuit Verbum, ita & communicata maiestas: ideoq; non sequitur eum ubiq; locorum passum esse.

Septimum & præcipuum Cinglianorum argumentum defum- Thesi. 24. prum est ex depravatione articulorum fidei, descensus in infernum, & ascensus in cælum, quæ secundum aduersarij opinionem significant motum de loco in locum, qui presentia huic & in omnibus locis, aduersetur.

Quod ad descensum in infernum attinet, eum loco non definimus, sed cruciatu, quem Deus in corporibus & animabus damnatorū execuzione iustitia & horrendi iudicij sui, quod scriptura certe vermi

*mordenti & igni inextinguibili. Non quod ibi corporales vermes constituci sint, qui mordent damnatos, sicut Poëta de Tityone fabulantur. Cui rostro immanis vultus obuncus, Immortale iecur rundit fecundaq[ue] panis, viscera rimatur epulis. Sed intelligit aculeum sensus iudicij diuini, ad cuius similitudinem nos quoq[ue] de mala conscientia loquimur, Das es ein nagender Wurm seye. Cuius morsum sensu diues euangelicus, sicut & ignem, cum corpus in terra quiesceret, in animam autem & spiritum corporalis ignis agere non possit.*

*Eodem modo etiam de cælo loquimur, quod loco non definitur, sed beatitudine, quæ est Dei ipius participatio, qui omnia erit in omnibus, sicut Apostolus id definit. Quare quæ ex scriptis patrum asserta dicta, nihil plane ad rem faciunt, quæ populariter verum explicant.*

*Quero autem ex aduersario, utrum præstet: Cum filio Dei personaliter unitum esse, aut in cælo esse? Etenim nemo eruditorum est, qui non intelligat, aliquid longè sublimius significari, in Deo & cum Deo personaliter esse unum, quam in cælo esse. Nisi dicamus beatitudinem Dei extra Deum esse: & qui in Deo sit, plenam beatitudinem non possidere: nisi aliquid externum accedit theatrum, quod longè absurdissimum est de Deo affirmare, quasi ipse sibi non sufficiat ad beatitudinem, nisi aliquid sit in quo sit.*

*Cum igitur humanitas Christi cum Verbo personaliter fuerit unita, quæ longè sublimior dignitas est, quam quod de nostro in cælum ascensu dicitur, ex sententia verborum Christi certum est, eius humanitatem in cælo fuisse, & sublimiorem quam in cælo, cum in terra esset, sicut eius verba diserte sonant: Filius hominis, qui est in cælo: filius, inquit, hominis, non filius Dei. Sicut ipse Augustinus alibi hunc locum interpretatur, cum scribit: Sic erat filius hominis in Cælo, quemadmodum erat filius Dei in terra. Filius Dei in terra, in suscepta carne, filius hominis in cælo in unitate personæ.*

Neg verò me mouet, quòd aduersarius mihi hīc nescio quā pauci- Thefis. 26.  
zatē patrū obijcit, qui nebis suffragentur. Satis nobis est, hanc doctri-  
nae partem, nos manifestis & perspicuis scripturæ testimonij demon-  
strasse, de qua patres paulò obscurius locuti sunt, occupati scilicet non  
hoc argumento excutiendo, sed veritate naturarum afferenda : ubi  
proprietatum recitatione opus fuit, quæ tamen cum maiestate non  
pugnant.

Demus enim, sexcenta testimonia ex patribus produci, quòd  
corpus Christi sit in uno loco : tamen de maiestatis modo intellexisse  
patres, aduersarius in omnem æternitatem non demonstrabit. Quare  
si vltro illis largiamur: corpus Christi in uno loco esse, pro ratione ve-  
ri corporis, nihil tamen obstat diximus, alio modo quam corporali in  
diuersis locis præsens esse : nisi forte Deus in eam necessitatem redi-  
ctus sit, ut id efficere non queat, quod fortassis nemo pius dicturus  
esset.

Sed quis vñquam credidisset, aduersarium negaturum, triplicem  
considerationem sive conditionem corporis Christi, scilicet qua esse  
aut physicum, aut gloriosum, aut in maiestate constitutum? Num in  
re tam manifesta mibi laborandum erit, ut hanc distinctionem pro-  
bem? Quod attinet ad physicas proprietates, non negabit, ut opinor,  
naturalibus affectionibus obnoxium fuisse corpus Christi, sive Chri-  
stum secundum humanam naturam, qua ratione loco fuit circumscri-  
ptus, edit, bibit, ambulauit, dormiuit, & similia, quæ physici corporis  
sunt accidentia.

De glorioso corpore extat Apostoli testimoniū, qui inquit: Trans- Phil. 2.  
figurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glo-  
rioso, ornato scilicet cœlestibus proprietatibus, quod oculus non vi- Cor. 2.  
dit, auris non audiuit. Et in his duobus modis, excepto peccato, corpus  
Christi nostris corporibus conforme factum es. Restat tertia consi- Pala. 310.  
deratio, qua Christus homo, supra omnes non modò homines, sed ange-  
licas etiam naturas eminet, qua scilicet sedet ad dexteram Dei. Ad  
quem angelorum dixit vñquam: Sede à dextris meis, donec ponam Hebr. 1.  
H 3 ini-

*inimicos scabellum pedum tuorum.*

*Vident igitur omnes pijs, non à me, aut privata aliqua temeritate excogitatam hanc distinctionem, sed scripturæ testimonijs planissimis demonstratam esse. Quæ cum firma sit, & nulla ratione labefactari possit, ex ea facilium est respondere, cum ad patrum cum scripturæ dicta, quæ speciem aliquam contradictionis habere videntur. Nam physicum habuisse corpus Christum ante resurrectionem, nemo nisi Mariionita aliquis negabit: gloriosum à resurrectione fuisse Paulus testatur: ad dexteram Dei collocatum, quod nulli angelorum aut hominum contingit, contigit aut contingit, articulus fidei cum multis scripturæ testimonijs suprà recitatis docet.*

*Octauum Cinglianorum argumentum ab aduersario allatum: Si propter unionem hypostaticam humanitas Christi, aut Christus secundum humanitatem ubiq, est, sequitur, eum priusquam in ultima cœna Eucharistiam confecisset, corpus & sanguinem ipsius in pane & vino præsentia continere, ut nunc in sacramento continentur: id autem nemine unquam præter Lutherum & me dicere ausum fuisse. Atq, hinc colligit, nos affirmare, eodem modo corpus & sanguinem Christi adesse in hordeo & fæno, & quibuslibet rebus viliissimis (quod pudor sit referre) sicut in sacramento. Ad hoc argumentum sic respondeo. Suprà satis demonstratum & probatum esse, qua ratione Christus secundum humanitatem omnibus rebus præsens sit. Hinc autem non sequitur, eodem modo corpus Christi adesse in hordeo & fæno sicut in sacramento. Etsi enim, quo ad se attinet, aequaliter omnibus rebus adsit, non tamen aequaliter in omnibus agit, & aequaliter sese communiceat. Et quia ad sanctificationem & consolationem adest in sacramentis sacrosanctis, ideo alio modo eū in sacramentis respectu nostri adesse dicimus, & eum modum cum ecclesia catholica sacramentalem dicimus. Propter hanc quam in sacramentis exercet differentiæ gratiam, vetus extat Sacramenti definitio, quod sacramentū sit inuisibilis gratia visibilis forma: gratia differentiæ facit præsentiae, nō absentie corporis Christi in alijs rebus. Nec est, ut quis hinc ratiocinetur, sola gratiam*

Luth. Tom. 3. Ger.  
Ithenensi fol. 395.  
fa. 1. Auno 56. im-  
presso.

riā adesse, sed rem quoq; quæ gratiā confert, scilicet Christum, sua hu- Ioh̄. 3.  
manitate, sicut & induū exercet, cui datū est, quia est filius hominis. 1. Cor. 11.

Sed non opus fuisset tanta præfatione pudoris, qua h̄c veitur, si dixissem maxime, in fæno aut hordeo eodem modo esse corpus Christi: cum nondum dixerim in stercore humano (salvo honore) colligendum esse, sicut habet vester Ioannes à Lapide, nuper cum præfatione & commendatione Cardinalis cuiusdam denuo typis excusus.

Quod dicit, me nulla ratione tueri posse, Christi corpus & ubiq; Thes. 99  
corporaliter adesse, & vero physicoq; ac corporeo motu moueri, nescio quo spiritu vertiginis agitetur, cum nihil horū à me sit dictū aut scri-  
ptum, sed plane contrarium, sicut in meis conclusionibus videre licet.

Cum enim corpus Christi gloriosum non amplius sit physicum, sed spirituale, sicut Apostolus testatur, quis diceret physico nūc motu mo- 1. Cor. 3.  
uieri? Et cūius rei causa quæsio de loco in alīū locū moueretur? an in-  
tra se non habet omnē beatitudinē, ut extra se querat? aut tædio loci  
vnius alīū petat? Nemo non videt, quām absurdā sint hæc scholastico-  
rū figura, qui de rebus cœlestib. & alterius seculi, nil aliud quām  
terrena imaginari potuerunt. Et sic euenire solet illis qui ex nisōn vno-  
lunt facere parrasā, cum oculus non viderit, auris non audiuerit, &c. 1. Cor. 2.  
qua Deus diligenter se præparauit.

Multò absurdius est, quod affirmat, nullo modo fieri posse, ut idem Thes. 93.  
Christi corpus in uno eodemq; loco circumscripsi sit & incircumscripsi,  
definitū & indefinitum, visibile & inuisibile, patibile & impatibile.

Si dicamus cum scriptura, diuerso id respectu fieri, sicut suprà often-  
dimus, quid habet quod opponat aduersarius? Etenim qua physicum  
est, & circumscripsi, definitum, visibile & patibile fuit: qua vero ad  
dextram Dei collocatum est, incircumscripsi, indefinitum, inuisibile, &  
impatibile: nisi diccas, dextrā Dei visibilem, definitā & circumscriptā  
esse. Modus ergo iuxta rationē dexterā Dei necessariō incircumscri-  
ptus & inuisibilis erit, quo corpus Christi ad dexteram Dei sedet.  
Hæc qui non intelligit, stupidus, qui negat impius est.

Sed ait aduersarius, ne fingi quidē, animonē concipi potest, corpus Thes. 94.  
Domini ante Christum passum in pari gloria & maiestate cum Verbo  
ubiq;

*vbiq; fuisse, & nihilominus pati & mori potuisse.*

*Ad hoc respondemus, nō quāri, quid temerarius homo fingere pos-  
sit, cui eſſ ē adeò crassum cerebrum, ut pro vita aeterna nobis mathe-  
maticum cælum obtrudat: sed quāritur, quid ſpiritus sanctus in ſcri-  
ptura ſacra loquatur. Si enim iuxta Irenæi ſententiā, ut ſi p̄dā di-  
ximus, Christus mori potuit requiescente omni potente Verbo, quo-  
modo non potuifſet & mori requiescente maiestate, quam ab omni po-  
tentie Verbo accepit? Potuifſet certè, ſi voluifſet, neq; pati, neq; mori:  
nulla enim neceſſitate, præter quam voluntatis adactus eſſ, ut mo-  
rētur. Hæc non ſunt fingenda, ſed credenda: & ſi fingerentur, ve-  
rè credi nec poſſent, nec deberent.*

Theſi 55.

*Deniq; infiſt at mihi dilemmate, ut ipſi videtur, inuidio: alterum  
ex his duob; me afferere, ſcilicet, oportere: aut corpus Christi ante pa-  
ſionem æquali gloria & maiestate cum Verbo prædictum fuiffe: aut  
ipſum ante reſurrectionem cum Verbo non fuiffe vnicū hypostaticē.  
Virumq; autem impium eſſe & hæreticum.*

*Sed nunc aliquoties ad hoc cornutum argumentum reſpondimus:  
Christum ante paſſionem in poſſeſſione fuiffe huius maiestatis, quam  
etiam verè habuit actu primo: non autem vbiq; locorum, & ſem-  
per maniſta patefactio exeruit actu ſecundo. Quod cū ſuprā  
ſcripturæ teſtimonijs conſirmatum fuerit, non opus eſt hoc loco denuō  
repetere: & concidit quod aduerſariuſ ſuper hoc ſuum fundamen-  
tū edificauerat.*

Theſi 56.

*Hoc ſi lector recte & probè conſideret, facilè ad ea omnia re-  
ſpondebit, quæ in 96. conſluſione numero multa colligit. Videlicet, ſi  
quis mecum afferat, humanitatem Christi à concepcionis ſua tempore  
eadem maiestate, qua diuinitatem, vbiq; fuiffe corporalicer, eum ne-  
gare Christum ſecundum humanitatem nouem mensibus in materno  
vtero fuiffe conſlusum, & ex eodem in hanc lucem adiutum: neget eū  
paſſum, in crucem ſublatum, mortuum, ſepultum, iterumq; ex ſepul-  
chro fuſcitatu: neget eundem ipſum ad inferos deſcendiffe, & inde re-  
uerſum ad cœlos aſcendiffe, neget demum ad iudicandum viuos &  
mortuos*

mortuos tandem aliquando redditurum.

Hic denuo videat lector, quām astutē semper repeatat & vrgat vocabulum corporaliter, videlicet, corpus Christi corporaliter vbiq; esse, quod nusquam diximus, neq; dicemus vñquam: quin illum modum in nostris thesibus, ex sententia Lutheri manifeste reprobauiimus. Dicimus autem semper, eum corporaliter, hoc est, corporali modo in uno loco tantum fuisse, videlicet, in utero matris corporaliter, & non extra uterum ante nativitatem: posse nativitatem verò extra uterū eius tantum, & non in utero eius corporaliter fuisse: ita in cruce & non alibi cùm ibi penderet, corporaliter. Sed cum secundum humanitatem eidem maiestatem omnis præsentia tribuimus, semper addimus, IV XTA R ATIONEM DEXTERÆ DEI, quod nihil carnale significat, aut pro ratione huius seculi, sed cœlestem & spiritualem modum, quem ratio non comprehendit, sed fides in verbo Dei acquiescens.

Tandem ne quod de doctrina aduersarij mei dubium esset, eum Cingliani dogmatis fautorē & propugnatorē esse, affirmat, Christum ut Deum omnia replere, ac repleuisse, secundum humanitatem verò neq; esse, neq; fuisse vñquam vbiq;.

Neq; saluabit eum, quod vel Concilium Ephesinum, aut totum Thesi<sup>97.</sup> sanctorum patrum ordinem allegat. Patres enim cùm propositum haberent de naturis, earumq; veritate disputare, certum est, eos omnes tantum de illo corporali modo locutos, quoad corpus in seipso consideratur, id quod nos quoq; cum illis fatemur. Sed quod de modo maiestatis communicatæ negauerint, hoc neq; Cingliani veteres, neq; nouus Cinglianus hic demonstrare vñquam poterunt, nisi forte sessionem Christi hominis ad dexteram Dei negauerint patres, & corporis Christi veram in eucharistia præsentiam.

Si verò & aduersarius vñà cum patribus & nobiscum quoq; de illo primo & corporali modo loquuntur, quid quæsto contra nos pugnant? qui idem dicimus, & hac doctrina de maiestate hominis Christi nihil aliud quam articulos fidei, incarnationis, scilicet, & sessio-

nis Christi ad dexteram Dei simplicissimè explicamus?

Sin vero simpliciter hoc affirmat aduersarius, sicut facere videtur, quomodo stabit præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna, quam ipse miraculo fieri affirmat? si enim simpliciter verum est: humanitatem neq; esse neq; fuisse, neq; posse esse in pluribus locis, nullo miraculo diuersum fieri potest, ut sit aut fiat vñquam.

Thes. xvi.

Sed nullum ne miraculum videtur aduersario, quod finitum & infinitum, quorum alijs nulla est proprio, in una persona vniuntur? quod Augustino teste, miraculum omnium miraculorum est, rationi humanæ incomprehensibile, quomodo, scilicet finita natura infinita sit capax, ut cum ea unum ipsædop constituat, nam extra Christum non est Deus, in cuius persona hæc vno facta est. Ex quo vel uno videre licet, quām sibi non constet aduersarius meus, qui plane contradictoria de eodem affirmare non veretur.

Quām vero nullam habeat, ratione huius maiestatis aut præsentia, prærogatiuā homo Christus præ reliquis sanctis, in 98. & 99. conclusionibus manifestè docet, in quibus affirmat, Christum, scilicet cum sanctis in diuinitate, quæ cunctis rebus præsens sit, & nusquam absit, omnia nouisse & perscrutari.

Num adeo egenus est homo Christus, ut ipse omnia adhuc discat ex diuinitate, quæ de singulis rebus ad ipsum referat, quæ est hæc dico non stultitia sed impietas de diuinitate cogitare? fingunt enim hominem Christum in cœlo sedere, diuinitatem autem quæ per omnia diffusa sit, ad Christum tanquam Mercurium referre, quæ pas-sim geruntur: atq; hoc modo humanitas tanquam domina constituta sit in cœlo, cui famuletur diuinitas, & nomine humanitatis omnia administret. Iudicet totus Christianus orbis, si hæc non sint Cinglaniorum & huius Sophista somnia de homine Christo, qui eius humanitatem hac maiestate spoliant, qua & ipsa omnibus rebus præsens est, & cum Verbo omnia administrat.

Arbitror autem studio hæc de sanctis & miraculosa præsentia carnis Christi in Missa inseruisse huic disputationi aduersarium: Nisi enim.

enim hæc addidisset, nemo vñquam persuaderi potuisset, hoc scriptum ex schola Pontificiorum prodijisse. Hæc enim quæ ipse h̄ic recitat, sunt præcipua Cinglianorum argumēta, quæ si largiatur illis, nunquam veram præsentiam corporis Christi in cœna afferere poterit.

Quod autem de sanctis affirmat, quomodo miseras nostras in diuitiis videant, id vanissimum est, & scripturæ sacræ omnino repugnans. Abraham nesciuit nos, & Israel ignorauit nos, inquit Esaias, Eze. 5:9  
Tu Domine, pater noster, & redemptor noster, &c.

Hæc solius filij hominis prærogatiua est, qua super omnes angelos & sanctos eminet, quorum cognitio est menjurata, qui solus xix. 10.  
vñs, huius autem est sine mensura sibi à diuinitate communicata.

Studio autem me, vel nescio quo cauto silentio modum illum exprimere noluisse, quod calumniatur aduersarius, quo humanitas in Christo cum diuinitate rebus omnibus præsens sit, id admodum improbè facit. Fateor enim ingenuè, me istum modum planè ignorare: sed firmiter credere scripturis expressum, neq; studio quicquam h̄ic vel disimulare vel tegere voluisse.

Sed dicat mihi aduersarius, & explicet ut intelligere queam, quomodo Deus sit ubiq; præsens: & aliquo modo illi quoq; explicare conabor, quomodo Christus secundū humanitatē eius sit ubiq; præsens. Respondet ille, Deum essentialiter ubiq; præsentem esse. Sed hoc non quærerem, quia nō ignoro Deum & essentia Dei ubiq; & in omnibus esse. De modo quero, quomodo essentia Dei sit ubiq; que est aetius purissimus et simplicissimus: & ego illis explicabo quomodo homo etiam per huius actus purissimi cōmunicationem quæ fit sessione ad dextrā Dei, ubiq; præsens sit. Id cū nemo explicare queat, manet modus in utroq; dīgñt; nec explicari potest quod creditur, & sola fides capit.

In postrema parte disputationis suæ explicat, ubi locorum Christus secundum præsentiam corporalem nunc contineatur. Præmittit autem distinctionem, qua corpus Christi duplicitè consideratur, uno quidem modo ut visibile & circumscriptum, quo modo dicit esse in cœlī tantum, & à beatis confisci. Altero vero ut inuisibile & in-

*circumscriptum, quaque ratione spiritale quodammodo dici possit: idem tamen numero sit cum visibili & circumscripto.*

Theſi 93.

Mendacem, inquit, oportet esse memorem. Suprà enim contendit, id est corpus non posse simul esse circumscriptum, & incircumscrip-  
tum, visibile & inuisibile: id nunc ipse non modò concedit, sed tanquam fundamentum explicationis sequentis praesupponit. Quod autem ibi addidit: in uno eodemq[ue] loco, astutè factum est, ut habeat latebras, in quas se recipiat. Etenim & in loco ubi visibiliter conspicitur, etiam ad dexteram Dei sedet, & quatenus ad dextram Dei sedet, non magis est ibi, ubi conspicitur, quam alibi, ubi visibiliter non conspicitur.

Sed quid uno in loco sit, nunquam fuit quæsum: hoc autem quæsum est, an corpus Christi possit simul & eodem tempore in uno loco circumscriptum, & in locis multis alijs incircumscrip-  
tum esse? hoc inquam fuit quæsum, & suprà ab aduersario negatum (quando autem de corpore Christi loquimur, de tota humanitate eius intelligimus, quæ anima & corpore constat.) Nunc contrarium superiori fatetur: posse scilicet corpus Christi simul esse & visibile, & inuisibile, circumscriptum & non circumscriptum, diversa scilicet ratione. Quæ concessione seipsum iugulat, suaq[ue] argumenta, quæ suprà magno numero contra nos attulit, ipse refutat.

Et quoties à nostris concessum est, Luthero & Brentio, si maxime corpus Christi eo modo in cælo contineretur, quo Cingiani dicunt (sicut in prima cena localiter cum discipulis suis discubuit) tam  
enim nihilominus alio modo in cena & ubiq[ue] locorum ecclesiæ suæ adesse posse affirmarunt? Id cum nobis nunc largiatur aduersarius, quis spiritum vertiginis in eo non agnoscet?

Voluit autem hoc Augustini testimonio confirmare, qui scriptum reliquit: Christum Dominum ubiq[ue] presentem esse ne dubites, tanquam Deum, & in loco aliquo cæli proper veri corporis modum. Sed astutè omittit, quod eo loco Augustinus addidit. Cum enim Augustinus dixisset: sic venturus est, illa angelica voce testante, quemadmodum ire vius est in cælum, id est in eadem carnis forma & substantia,

cui

eui profecto immortalitate dedit, naturam non abstulit: statim addit.  
 Augustinus: secundum hanc formam non esse putandus ubique diffusus. Id quod nos etiam cum Augustino fatemur, eo modo & ea forma corpus Christi non esse diffusum, qua visum est ire in cælum. De hac forma tantum loquitur Augustinus, nullo modo autem denegat ei maiestatem, de qua nos loquimur, id quod sequentia verba manifeste docent: Cauendum est, inquit, ne ita diuinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis afferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubique, ut Deus: nam & de nobis verissima scriptura dicit, quod in illo vivemus, mouemur & sumus, nec tamen sicut ille ubique sumus, Sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter Deus ille in homine, proprio quodam & singulari modo.

Hic aduersarius tria diligenter aduertat. Primum, quod Augustinus dicit, de diuinitate hominis, non Dei: & monet, in eo extollendo ne modum excedamus, & ita veritatem naturæ humanæ negemus. Deinde duo vocabula nostra sunt, (ita & ut) quibus non simpliciter negat omnipresentiam humanitatis Christi: sed hoc tantum, quod non eodem modo & per omnia pari ratione ubique sit, sicut diuinitas. Tertiò quod ingens discrimen faciat inter præsentiam Dei in homine Christo & nobis: ut doceat, non sequi, cum Deus sit in nobis, nos autem non propterea ubique esse, idem de homine Christo quoque dici posse: quia alio modo sit ille homo in Deo, quam nos. Ideoque concludit de forma illa visibili, corpus Christi pro ratione & natura gloriosum corporum tantum esse in cælo, quod nos quoque dicimus, & quandocumque se conficiendum præbet, in uno tantum loco apparere. Hoc tamen cum Maiestatis modo non pugnat, ut simul eo modo, quippe in Deo est, cum Deo ubique sit.

Quod de Augustino dixi, id de patribus & concilijs omnibus dictum volumus.

Cæterum, quam crasse de cælo una cum Cinglianis philosophetur aduersarius, nemo satis mirari potest. Nam pro Empyreo, quod scholastici confinxerunt, nobis obrudit nescio quod Mathematicum,

¶ tamen corporeum cælum. Constat, inquit, mediocriter eruditis cœ-  
lum illud beatorum domicilium, locum esse corporeum, & sicut catena  
corpora qualitate affectum, quamvis qualitatibus illis destinatur,  
que locum physicum constituant atq; naturalem. Quapropter vel in-  
uitus aduersarius fateatur, neceſſum est, in cælo locum esse, non qui-  
dem physicum seu naturalem, sed mathematicum & cœleſtem: niſi di-  
core maluerit, beatos ōes nusquam esse, qui non alibi quām in cælo illo  
contineantur.

Gene. 19.

Vsq; adeò fascinatus es, nouus Cinglianus loci consideratione, ut  
existimet, nihil esse aut confitere posse, quod non sit in loco. Hinc es,  
ut fingat angelos in ſuprema aliqua regione altissima, tanquam in  
regno Dei commorari, ubi ipſe Deus ſedeat, & amandet angelos ſu-  
os in hanc terram ab illa regia remotiſſima, ad expediendam vo-  
luntatem ſuam. Et non intelligit crassus disputator, de rebus ale-  
rius ſeculi ſcripturam humano more loqui, ſicut de ipſo Deo ſcri-  
ptum es: Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum multiplicatus  
es, & peccatum eorum aggrauatum es nimis, descendam &  
videbo utrum clamorem, qui ad me peruenit, opere compleuerint.  
Hic ad confirmandam aulam Dei in altissimis, habet illuſtre teſti-  
moniu, ne quidem Deum ipsum in terris esse, ut qui velit descendere.  
Ad hunc errorem ſtabiliendum poterit etiam vti teſtimonio Chri-  
ſti, ubi inquit: Ascendo ad patrem meum, & ad patrem veſtrum,  
Deum meum & Deum veſtrum. Si in terris eſſet Deus, quid opus eſ-  
ſet ad illum ascendere?

Sed faceſſiant haę nugae, quas ſecui tandem in ~~admodum~~ im-  
pietatem incideremus, cum ſcriptura loquatur de Deo, tanquam ho-  
mine, cui aures, oculos, manus & pedes affingit: quorum nihil in Deo  
es, ita neq; deſcensus, neq; aſcensus, neq; prope, neq; remotum, ſed om-  
nia praefatiſſima.

Sed quid ſibi quæſo vult, quod dicit de mathematico cælo? Mathe-  
matici enim non aliud quām aſpectabile cælu nouerūt: & Aristotleles  
ſcripsit

scriptis aduersario in hoc negotio multò intelligentior, quia dicitur deus  
 est in uide et non in corpore, non habet corporis, non habet locum, non habet tempus. Et iterum φαντερός αριστοτέλης  
 ἐπιδιηγεῖ τὸν θεόν, ὃντε καί εἰς τὸν θεόν φαντάζεται. Μίστηρος δὲ τοῦ τοποῦ τοκετός φυγεῖ,  
 ὡραῖος θεός αὐτοῖς ποιεῖται φασκεῖν, οὐδὲ εἰς τὸν θεόν φαντάζεται μεταβολὴ τῶν οὐρανῶν τὴν  
 φύσιν τῶν φαντασμάτων φορᾷν ἀλλὰ ἀναλογίαν τῷ θεῷ φαντάζεται καὶ οὐρανοῖς τῷ θεῷ φαντάζεται.  
 Patet, inquit Aristoteles, neq; locum extra cælum esse, neq; vacuum neq; tempus. Et iterū repetens  
 dicit: Patet ergo neq; locum extra cælum esse neq; vacuum neq; tempus. Quocirca neq; apta sunt ea, quae illuc sunt, in loco esse, neq; tempus  
 ipsa senescere facit. Neq; ullius eorum est illa mutatio, quæ super  
 eximia posita sunt latione, sed nullis alterationibus, nullis passioni-  
 bus prorsus subiecta, optimam in tota aeternitate vitam & sufficien-  
 tissimam viuunt, &c.

Aduersarius dicit, se intrepide profiteri, sanctos pro liberrima  
 voluntate moueri in cælo. Aristoteles ne quidem mutationem illis  
 tribuit, tantum abesse ut motum concedat, in cælo extra aſſectibiles  
 cælos, in quo nullum erit tempus neq; locus, sed fieri queat motus.

Sed non humana authoritate cum erroris conuincamus, cum no-  
 bis sufficientissima sit scripturæ sacra doctrina: Quod oculus non vi-  
 dit, auris non audiuit & in cor hominis non descendit. Etenim mens  
 nostra quamdiu hanc vitam viuit, nihil potest intelligere, sine phan-  
 tasia,phantasma autem sunt ab ijs rebus abstracta & secreta, quæ  
 sensibus nostris exposita sunt: Cum autem cælum de quo scriptura lo-  
 quitur, in sensu nostris non incurrat, ideoq; etiam ab eo nullum in  
 mente effici phantasma queat, per consequens etiam intelligi non po-  
 tenſe. Quid igitur dicemus aut dicere possumus, quām aduersarium  
 nostrum, & quotquot cum illo faciunt, haberephantasticum cælum,  
 quod intelligi neq; queat, sicut nunc dictum est, nec credi, cuius nul-  
 lum in scriptura extet testimonium? De quo dici non potest, quām  
 ridicula scripserint Monachi: In cælo inquiunt Empyreos sunt  
 loca corporalia pro sanctis distincta. Nam Christus cateros  
 excellit tam angelos quām homines & loco & dignitate, posse  
 ipsum

posse ipsum credimus beatam virginem super alios omnes: deinde ceteri ordinantur secundum dignitatem ipsorum. Huius autem IMAGINATIO facile potest haberi, si quis imaginetur aues in aere, & pisces in aqua: Sic in Empyreo intelligenda sunt collocari corpora, quia corpus illud multum habet de altitudine sicut alij caeli: Vnde non debet quis imaginari, quod ibi sint beati ut in solario, nec tamen intelligendum est, quod unus sit directe super caput alterius: sed si esset mons rotundus, & aliquis esset in culmine, & aliqui circum circa sic potest aliquis imaginari, qui nescit melius dispositionem sanctorum in caelo Empyreo & Christi, &c. Quid queso aliud sunt haec oculos monachorum speculationes, quam, per rurorata, quibus pueri ludunt? Ea nobis sanctissimi monachi loco beatitudinis proponunt, de quo scriptura concionatur, quod oculus non vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non descendit. Sed, inquit, nisi tale celum credatur aut fingatur, dicendum erit, beatos nusquam fore possit hanc vitam. Sed heus tu, Tibi ne Deus nihil est? & quod in Deo est, nusquam ne dicetur esse, aut ut Deus sit cum illis, quae suo complexu continet, necesse est ut in loco sint?

Hæc in rebus fidei nostræ summa est, & fuit pessima semper maxima, quod quæ Deus voluit credi, humana ratio semper conata sit modulo mentis & intelligentiae suæ includere, si qua ratione, quod credendum est, possit etiam intelligere.

Abiijciamus ergo hæc Cinglianorum & Sophistarum somnia de rebus spiritualibus & celestibus. Corpora nostra fore spiritualia restatur Apostolus, quo ipso ea & loco, & tempore eximit, que corporis physici sunt accidentia: & in celum reponit, quod Deo ipso eiusque fruitione definitur, intra nos, non extra nos, sicut scriptum est: Deus erit omnia in omnibus. Hæc credenda sunt & certissima, non phantastica illa nescio de quibus distinctis & separatis sedibus beatorum, quas phantasticè confinxerunt.

Ex his, ut opinor, intelligent omnes, quam ineptè & impie aduersarius cum suis complicibus corpus Christi sue ut rectius loquar Christus

Nota Stultam  
phantasiam.

1. Cor. 15.

Christus secundum humanitatem collocet in celo phantastico & mathematico, quod nusquam est, cum phantasmat a & intelligibilia humanae mentis extra hominem nihil plane sint: nec ullum scripture habet testimonium, nisi quod illi suis phantasmatibus deprauarunt, & violenter detorserunt in alienum sensum.

Nunc de altera consideratione corporis Christi videamus quoq; in qua explicanda adeo breuis est aduersarius, ut sibi id una conclusione expediendum existimat. Extat alibi apud Quintilianum: Argumenta, ad quæ respondere neque as, risu soluenda esse. Id imitatus aduersarius, cum risu coniunxit reiectionem, & putat sufficere, si dicat: me multa horrenda & blasphema in sacramentum eucharistiae euomuisse. Sed quæ sunt illa? cur non demonstrat? vel saltem uno verbo?

Quemadmodum autem id demonstrare non potest, quod ad commendationem augustissimi huius sacramenti summa cum reverentia à me omnia dicta sint, & firmissimis scripturæ testimonijs & rationibus munera: ita suæ causæ diffidens, in arenam mecum descendere non est ausus. Cum non ignoret portenta disputationum scholasticorum: nec suum miraculum defendere queat, plusquam crassus Capernaita: qui, ut opinor, ex sententia suorum scholasticorum affirmat, Christi corpus in cœna esse secundum omnes suas dimensiones corporeas: ut quemadmodum anima sit in toto corpore, & qualibet parte eius tota, ita & corpus Christi secundum suas dimensiones in omnibus partibus cœnae, & in qualibet parte eorum corporaliter. Res enim fidei est præsentia corporis Christi in cœna, quæ dicitur misericordia, id est, quod credendum est, ideoq; nunquam potest fieri nobis in hac vita ratione, hoc est, quod intelligi posset: sed soli Deo est ratione qui eius modum & rationem intelligit: nobis autem dum hanc vitam vivimus, est & erit ratione, id est, res quæ credatur, nullo autem sensu & intelligentia percipiatur, & si quid explicationis afferre possumus, id unicum ex mirabili adeoq; miraculosa unione personali filii Dei & hominis petendum est.

K Hinc

Tom. 3. Gen. 3. get.  
 fol. 395. fa. 1. Anno 1556. impressio.  
*Hinc recte Lutherus, sanctæ & pia memorie scriptum reliquit,  
 cum admiratione insigni: O inquit, quam pauci sunt etiā inter docti-  
 simos, qui de hoc articulo tam profundas cogitationes habuerint, aut  
 vnquā crediderint, quia res est supra modum incōpræhensibilis: quod  
 Deus homo, & homo Deus sit. Sed in medio est scriptura sacra, & fides  
 habet pro veritate certissima. Quod si verum est, inquit Lutherus, e-  
 uerimus certè hoc ipso, optimum fundamentū fanaticorū spirituum,  
 videlicet, quod non pugnant hæc duo, sed cum scriptura, & fide nostra  
 consentiant: Corpus Christi simul in cælo esse, & in eucharistia. Et so-  
 lidè fundata est hæc sententia, in primo symboli ac fidei nostræ ar-  
 tilo: Credo in Deum, patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ.  
 Hic inquam articulus, ait Lutherus, defendit & conseruat nobis in-  
 telligentiam cœnæ Dominicæ, sicut suprà auditum essemus, &c. Et que  
 ibi sequuntur.*

*Cum Lutherò igitur, pia memorie, me hac in parte facere non  
 inficior. Nec me offendit, quod aduersarius eius doctrinā lacunas ap-  
 pellat. Mibi enim verè sunt Laurer / id est, limpida aqua pro-  
 manans ex viuo fonte scriptura sacra, quæ nobis mysteriū incarnatio-  
 nis filij Dei, & omnia ea, quæ hoc cōsequuntur, ad normā & regulam  
 Verbi Dei, & fidei nostri explicat. Mihī plus probantur hæc lacunæ  
 Lutheri, quam aliorū, quas sibi ipsi fuderunt, cisternæ, non valentes cō-  
 tinere aquam. Intelligo autē omnes, qui nobis multa concionantur de  
 physical locatione corporis Christi in cælo: cùm quos in glorificatis cor-  
 poribus nulla sit, quæ teste Apostolo, erunt non physica, sed spiritualia  
 corpora, (rareo quæ suprà de maiestate corporis Christi diximus.) Itē  
 quæ cōcionātur de locis distinctis, & de abulationibus sanctorū in cæ-  
 lo, quæ omnia intrepidè dico esse quæcūq; id est, nugas, et in rei veri-  
 tate nihil aliud, quam vanas & ociosas cogitationes humanas &  
 stultas de rebus alterius seculi, quoq; autore profecta sint.*

*Quod autem aduersarius negat cum suis complicibus, ex sub-  
 stantia panis & vini fabricari secundum ipsorum opinionem, cor-  
 pus Christi, sed tantum contineri sub speciebus panis & vini,  
 qua*

quæ hæc quæsio impudentia est? Num vero ipse negat transubstantiationem in Concilio Lateranensi confirmatam? cuius verba sunt. Verum Christi corpus & sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus & vino in sanguinē potestate diuina. Hæc sunt Lateranensis concilij verba, quibus docent, in Eucharistia manere species panis & vini, hoc est accidentia: sed ex substantia panis fieri substantiam corporis Christi, & ex substantia vini fieri substantiam sanguinis Christi.

Decretū inde transubstantiatione in concilio, Lateranensi.

Hoc impium transubstantiationis figmentum, facit, ut aduersarius existimet, non opus esse disputatione de maiestate humanitatis Christi, ad afferendam præsentiam corporis & sanguinis eius in cœna, manere enim corpus Christi in cœlo, quod ex substantia D. virginis Mariæ desumptum est: & corpus sacramentale Christi, ex noua substantia panis, scilicet, & vini confici.

Hanc impietatem ne verbo quidem attingere ausus fuit, cum intelligeret, quam malam causam defendendam esset suscepturnus.

Interim ut fucum faciat rudioribus, dicit, nescio quo miraculo, corpus Christi idem numero simul in cœlo & in Eucharistia esse, ibi visibile, hic invisibile. Nos vero dum hoc posterius dicimus ex sententia aduersarij & clamoribus eius, cum scriptura sacra, concilijs omnibus, & toto sanctorum patrum choro dicimur pugnare. Qui certè alius in hoc homine esse non potest quam vertiginis spiritus, de quo lectorem nunc aliquoties monui,

Eadem ratione factum esse arbitror, quod Glossam à me commemoratam non attigerit, qua loquitur de ipsorum Christo, qui statim iterum auulet, nec ad horam cum suis fidelibus maneat. Interim tamē ne nihil dicat, affert quædam, eum scilicet tantisper corpore suo præsentem manere, donec species sacramentales consumantur.

Quid hæc audiuimus quæsio? Christiani ad mensam Domini accedunt, & Eucharistiam sumunt, ut Christum habeant in se manentem: Qui menducat carnem meam & bibit sanguinem meum mansabit

manebit in me, & ego in illo, inquit Christus. Aduersarius autem dicit, eum tantisper permanere in homine, donec species consumantur, hoc est, brevissimo tempore: deinde iterum auolare, & recipi in cælum, unde venerat. Hic certè ex sententia aduersarij plurimū dolendum est, & deplorandum, corpus Christi in rusticis non manere sumptum, cum tot diebus & septimanis dicatur contineri in sacrario, aut, ut vocant, in monstrantia. Quæ hæc impietas sit & ludibrium satanæ, omnes pij diligenter secum perpendant, unde de opinione huius disputatoris, omniumq; pontificiorum rectius indicare poterunt.

Sciant autem pontificij omnes, nos ealem Christum non agnoscere in eucharistia, aut corpus eius, quod in sumentibus non maneat speciebus consumptis: cum eam ob causam fideles ad hanc mensam accedant, ut habeant secum in omnibus vitæ suæ actionibus, in seipso, inquam, Christum manentem, qui ipsorum fidem in rebus aduersis subinde magis magisq; confirmet præsens, & charitatem erga proximum accendat, qua & errata alijs condonemus, & pro virili nostra quoq; magna animi alacritate eos iuuenimus. Sed hæc de impia & absurdâ opinione aduersarij nostri breuiter dicta sufficiant.

Spero autem, non modo personam meam à suspicione hereticæ, quas mibi imputat aduersarius, satis purgatam, sed etiam doctrinam de maiestate hominis Christi, contra eius calumnias & sophismata omni ex parte sufficienter explicatam, confirmatam & munitam. Ex qua breui commemoratione lector intelligere potuit, quomodo unio duarum naturarum diuinæ & humanæ facta sit in hypostasi filij. Deinde etiam, quomodo potentia, sapientia & virtus, genitæ & infinitæ proprietate personali, à potentia, sapientia & virtute patris distincta sit, cuius sapientia, potentia & virtus est ingenita. Et quomodo filius Dei, qui in unitatem personæ naturam humana assumpserit, videlicet, non ut per assistentiam aut societatem ei adesset, sicut Eliae & alijs prophetis affuit, sed unum sine ipsis ageret, quod filius Dei, maiestatem suam omnem in hunc hominem:

nem effudurit: non ut planè idem cum filio Dei efficeretur homo per omnia similis Deo, sed permanentibus naturis, earumq; proprietatibus, abr<sup>et</sup> sine mensura dona sua conferret filio hominis, eumq; oraret, omnipotentia in cœlis & in terris data, qua ipse & secundum humanitatem rebus cum nō, q; omnibus adesset, non quidem eodem modo quo abr<sup>et</sup>, quod plenitudinis Dei homini communicata alia sit ratio, ab ea, q; Deus ipse est, sed aequalitas cum Deo, non identitas, significacione vocabuli ad vnum, non simpliciter aut ovorius.

Qua ratione etiam non dicitur in cœlo tanquam in loco, sed ad dexteram Dei, q; nullus locus est, quam scriptura dicit esse infinitam Dei potentiam, adeoq; Deum ipsum.

Qui Deus etiam electis omnibus cœlum erit, & beatitudinis locus, non planities aliqua extimi cœli, ut falsò quidam opinantur, vnde etiam vera præsentia corporis & sanguinis Christi in eucharistia afferitur, non corporalis illa, qua in omnia loca iuxta dimensiones corpus Christi extendatur, sed qua ad dexteram Dei sedet, iuxta eius rationem adesse simul in cœlo & in cœna, articuli fidei nos docente.


Satis etiam dixisse nos existimo de aduersarij insufficiene definitione, qua hypostaticam vunionem definiuit, esse vunionem subsistentialem Verbi cum carne: q; ignotum per ignotum explicat, eamq; omnibus creaturis conuenire, luce meridiana clarius demonstrauimus. Simul etiam quantum humanitati Christi derogat, & quam portentosa de cœlo & præsentia corporis Christi in eucharistia doceat.


Iudicium de tota controuersia ecclesie Christi, veræ & catholicae, omnibus eius membris, spiritu dijudicationis præditis, committito, ut secundum scripturam sacram, q; vnicula est veritatis regula, & fidei nostræ analogiam, de hoc toto negocio iudicent. Vincat sola veritas, & omnis humana cedat autoritas. Apud me in hac controuersia beneficio Dei nihil est perplexum, nihil longius

petitum, nihil noui à me allatum. Sed quod in nostris ecclesijs ha-  
ctenus à morte Lutheri magno cum consensu, traditum est, id ego,  
breuibus conclusionibus repetere volui. Explicationem vberiorem  
(ad quam etiam me, si quid paulo obscurius à me dictum esset, offero)  
Christiano lectori ex D. Luthero, & D. Brentio petere  
licebit, quorum me discipulum  
profiteor.

THEATOR.

Folio 67. linea 9. sic legendum. Hæc solius filij hominis, qui solus  
impeditur, prærogativa est, &c. transponendo est erratum.





GCN 43337689